ICHNOGRAPHIA VETERIS·ROMAE


XX·TABVLIS COMPREHENSA

CVM·NOTIS·IO·PETRI·BELLORII

ACCESSERVNT

ALIAE·VI·TABVLAE·INEDITAE

CVM·NOTIS



ROMAE·MDCCLXIV

EX·CHALCOGRAPHIA·R·C·A·

A D

CLEMENTEM XIII.

PONTIFICEM MAXIMUM.

XAVERIUS CANALE PONTIFICII ÆRARII PRÆFECTUS.

HANC veteris Urbis Ichnographiam, quæ nunc multo quam antea, me adnitente, prodit in lucem auctior, Tui Nominis Majeſtati unice ut conſecrarem, non modo poſtulabat ejuſmodi Operis ratio, ſed etiam recordatio tuorum in me beneficiorum. Illa enim Roma vetus gentes quidem omnes trahit in admirationem ſui, & mirificis laudatur præconiis: Roma tamen, qua fruimur, magnificentiſſimis

tot Summorum Pontificum exculta operibus , & cum ipſa antiquitate comparandis , vel ab ipſis veterum monumentorum ſtudioſiſſimis , qui nihil niſi vetuſtatem probare ſolent , maximis in Cœlum tollitur laudibus . Immo ſi vetera (quorum multa Pontificum ope ſteterunt) cum novis componantur; tantum hæc illis præſtant, non modo cultu , & ornamentis , ſed juſtitiâ , & pietate ſpectatorum oculis ubique objecta , quantum Terras ipſum ſupereminet Cœlum . Quæ cum ita ſint, CLEMENS BEATISSIME , & cum Romam ipſe tuam legibus modereris , tuteris vigilantia , moribus illuſtres , & novis excitatis , veteribus inſtauratis Ædificiis non modo exornes , ſed quam maxime publico commercio , perennique totius populi felicitati proſpicias , jure Tibi , PONTIFEX MAXIME , Opus iſtud fuit nuncupandum . Opus quippe eſt non modico ſuſceptum labore , ut veteris Urbis veſtigia , amotis antiquis ruderibus , quibus tegebantur , luculentiſſimis Commentariis illuſtrata , omnium oculis quodammodo ſubjiciantur . Præterea cum parem gratiam rependere haud poſſem Beneficio illi Tuo , quo me Romani Ærarii generali Præfecturâ decoratum voluiſti , munus itidem hoc , totumque me ipſum Tibi pronus , ſupplexque offero , dedicoque , ut grati ſaltem , & obſequentiſſimi animi erga Te mei , Urbi , & Orbi monumentum relinquam ſempiternum . Precor , obteſtorque Deum Optimum Maximum , ut Te , in excelſa iſta Sede , favente & approbante Divino Spiritu , collocatum quam diutiſſime ſervet ; quod futurum pro ſumma ejus erga nos clementiâ omnes confidimus .

LECTO-



LECTORI BENEVOLO.

VETERIS Romæ Ichnographiam, quam Imperator Severus marmoribus inſculptam, in Templo Romuli a ſe inſtaurato pavimenti loco poſitam voluit, ſedente Paulo III. Summo Pontifice, ex Urbis ruderibus erutam, & ad Farneſianas Ædes aſportatam Petrus Bellorius in XX. Tabulas digeſtam Notis illuſtravit, & publicam in lucem edidit. Iterum ac tertio licet recuſam, tamen ob exemplarium raritatem haud facilè parabilem, ſpes eſt gratum tibi fore, Amice Lector, quarta hac editione in publicum denuò prodire novis acceſſionibus auctam. Nam ex quodam primæ editionis Bellorianæ exemplari, quod fuit Camilli Cardinalis Maximi, quaſdam notas ignota manu in margine adſcriptas huc tranſtulimus; quarum Auctorem Græce, & Latine fuiſſe doctum apparet. Singulis hiſce notis præfixæ litteræ A. I. Auctorem ignotum ſignificant. Præterea ad XX. Bellorianas, alias ſex reperies adjectas, brevi commentario illuſtratas Tabulas veteris Romæ Veſtigii nondum editas a Benedicto XIV. Summo Pontifice locatas in Capitolio. Hæc te monitum Amice Lector oportuit. Vale.

IMPRI-

IMPRIMATUR


Si videbitur Revmo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

D. Jiordanus Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

IMPRIMATUR

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchini Ord. Prædicat. Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

JOHAN-



JOHANNIS PETRI BELLORII
IN FRAGMENTA VESTIGII VETERIS ROMÆ
NOTÆ.

SEPTIMII Severi ætate lapideis tabulis inciſum fuiſſe noſtrum Veſtigium, indicat unius fragmenti inſcriptio, Tabulâ IV. infra exhibendâ: SEVERI . ET . ANTONINI . AUGG . N . N . *Severi, & Antonini Auguſtorum Noſtrorum*; quod ſanè intelligendum eſt de Septimio Severo, & Baſſiano Antonino ejus Filio. Indicant quoque Lollianorum, & Celloniæ Fabiæ tituli, cum utraque gens floruerit ſub Severo, ut ſuis locis adnotamus. Effoſſum verò in Templo Romuli Viâ Sacrâ, ſatis conſtat; in eo enim inſtaurando, ſive exornando ipſe Imperator, lapideis tabulis ſtratis Urbis Ichnographiam in pavimento deſcriptam locavit. Severus porrò Urbis Reſtitutor, & Fundator Imperii (1) fuit cognominatus,

(1) A. In veteribus etiam Nummis Septimium Severum *Reſtitutoris Urbis* nomine decoratum cernimus, quemadmodum in alio quodam nummo *Fundator Urbis* inſcribitur, ut videre eſt apud Mediobarbum, quo

tus, celebravitque ſeculares ludos, in quibus Urbis, Populique Romani conſervationem, imperiique æternitatem Diis commendabant: quo tempore deſcriptum fuiſſe Urbis veſtigium, credibile eſt. De ejuſdem magnificentiâ in inſtaurandis Urbis ædificiis Spartianus: *Sunt per plures Civitates opera ejus inſignia, magnum verò illud in Civitate ejus,* (2) *quod Romæ omnes ædes publicas, quæ vitio temporum labebantur, inſtauravit, nuſquam prope ſuo nomine adſcripto, ſervatis tamen ubique titulis conditorum.* Poſt Severum ſub aliis Imperatoribus auctum, immutatumque veſtigium diſcimus ex aliis titulis nobilium ædificiorum, ut Baſilicæ Licinii, & Areæ Valerianæ Tabulis III., & XIV. Sequioribus Chriſtianorum ſeculis dirutâ, ac in-

Æl. Spartian. in Vit. Sever. cap.23.

quo ſanè poſteriori nomine a Bellorio noſtro inſigniri Severum, quam *Fundatorem Imperii* novâ, eâque inopportunâ nomenclatione ſalutari, maluiſſem, tum ut ad veterum monumentorum tramites concinniùs loqueretur, tum ut rei, quam ipſe nunc pertractat, firmius pondus adderet, Severique magnificentiam in inſtaurandis Urbis ædificiis plenioribus argumentis innueret. Scilicet ita honorificè cognominari meritus quidem fuerat Imperator Severus, tum quod Septizonium, ac Thermas conſtruxiſſet, tum quod Januas in Tranſtiberinâ Regione ad Portam ſui nominis, ceteraque alia præter ea, quæ ferè collapſa refecerat, excitaſſet. Ejus etiam Filius Baſſianus, Antoninus ab ipſo poſtea dictus, *Reſtitutoris Urbis* nomine inſignitur in nummis. Siquidem ipſe quoque publicorum ædificiorum conſtructione benè de Urbe Româ mereri inſigniter ſtudnit; Ipſa namque eidem inter cetera Severi Porticum, Thermas ſui nominis eximias, novæ viæ munitionem, templaque Iſidis magnificentiſſima refert accepta. Rem clariùs exerent ipſa numiſmata ad duos hoſce Imperatores pertinentia, ac honorificentiſſimis his Epigraphis iuſcripta, qui cum Ichnographiæ hujus Auctores, & Auſpices fuerint, minimè alienum abs re noſtrâ futurum, exiſtimamus, ſi ipſorum ectypum heic ſubjecerimus:



(2) A. Heic ignotus Adnotator noſter primò ſe prodit, atque τὸ *Civitate* obliterat, ſimulque in margine ſubſtituit τὸ *vitâ*. Sanè Codex noſter, quo nunc utimur, ex accurato Typographio Aureliæ Allobrogum anni CIƆIƆCIX habet τὸ *Civitate*: Verum Editio Pariſienſis *Hiſtoriæ Auguſtæ* Scriptorum anni CIƆIƆCXX habet τὸ *vitâ*, hancque lectionem tuetur Salmaſius his verbis: *Sine dubio ſcribendum* magnum verò illud in vitâ ejus, quod ædes publicas &c. *Magnum enim revera illud in vitâ Severi, quod cum plurima ædificia publica temporis vetuſtate labentia refeciſſet, nuſquam ſuum nomen adſcripſerit, ſed ferè ubique veteres auctorum titulos ſervaverit. Sic alicubi apud unum ex iſtis auctoribus:* nihil magnum in vitâ ejus, niſi quod Cæſar appellatus eſt; *Et apud Lampridium in Diadumeno*: Antonini Diadumeni nihil habet vita memorabile, niſi quod Antoninus dictus eſt: *Mirum tam puſillam mendam latuiſſe doctiſſimos Viros; ſic parvæ ferè latitant, cum magnæ in oculos incurrunt.* Non omittimus etiam, Caſaubonium legere hoc in loco: *illud ejus magnum eſt in Civitate*; Verum friget hæc lectio, poſtquam Salmaſium audivimus ſuam adeò ſtrenuè propugnantem, cui eruditos omnes adhæſuros, exiſtimo.

ac incenſâ Urbe, in novâ inſtauratione, ſeu dedicatione ejuſdem Templi, quod SS. Coſmæ, & Damiano dicatum eſt, (3) mutila, & disjuncta pavimenti, veſtigiique fragmenta in murorum loricas aptata fuere, veterum aliquot ſepulcralium lapidum permixta ruderibus, quemadmodum imminuta, & confuſa eruta ſunt. Sedente Paullo III, fragmenta ipſa in Farneſianas Ædes translata (4) Fulvius Urſinus ſchedis deſcripta adſervavit in ſuâ Bibliothecâ, quæ Vaticanæ acceſſit. Perpauca quidem, eademque ſaucia magni illius, admirandique corporis membra ſunt, ad illuſtrandas tamen, decorandaſque Romanas antiquitates figuris, ac titulis ſuis plurimùm conferunt. Unde incuria veteris Romæ Deſcriptorum culpâ non vacat, cum ad hanc diem reliquias, quarum ſumma auctoritas eſt, ipſi aut non animadverterint, aut inconſultò prætererierint. Nos quoad potuimus iis ſupplendis operam impendimus, in quo ſtudio profuit nobis Andreæ Bufalini Architecti diligentia: hic univerſam recentis Urbis Ichnographiam omnibus numeris abſolutam explevit, brevi in publicam lucem editurus. (5) Ædificia tum recentiora, tum vetera, quæ remanent, dimenſus eſt, & Farneſianos lapides meditatus ſuas animadverſiones nobis ſuppeditavit, quas propriis locis referemus. Nos

(3) A. Anno CIↃIↃCCXLVII. formis Komarekianis cuſa Romæ prodiit *Diſquiſitio Hiſtorica de Sanctis Martyribus Coſma, & Damiano &c.*, quæ auctorem habet Bernardinum Mezzadrium ex tertio Franciſcanorum Ordine, quam ipſe verè Ampliſſimo S. R. E. Cardinali Carolo Victorio Amadeo a Lanceis nuncupavit, atque in duas partes diſpertivit, in quarum primâ SS. Martyrum Acta recenſet, in alterâ celeberrimi olim hujus Romuli Templi, nunc inſignis Baſilicæ laudatis jam Martyribus dicatæ vetera monumenta expendit. Videri etiam poterit Flavius Blondius *Rom. Inſtaur.* lib.2. n.31., & Floravantes Martinellius *Rom. Sacr.* cap.12.

(4) A. Hæc ſanè fragmenta vetuſtate ferè omnino corrupta diù in Farneſiano Palatio adſervata fuerunt, donec venerandæ Antiquitatis Conſervator egregius, munificus, ac Studioſorum, Litterarumque Patronus verè eximius BENEDICTUS XIV. P.O.M. O' Μακαρίτης in Capitolini Palatii ſcalâ, quâ ad Pinacothecam conſcenditur, collocavit anno CIↃIↃCCXLII, ut ex duabus latinis Inſcriptionibus diſcimus, quæ ibi proſtant, quaſque, utcumque eæ ſint, heic nos lubenter ſubjungimus:

(I)
FRAGMENTA . ICHNOGRAPHIAE . VETERIS . ROMAE
IN . ROMVLI . TEMPLO
AD . VIAM . SACRAM . OLIM . EFFOSSA
ET . AD . FARNESIANAS . AEDES . TRANSLATA
BENEDICTVS . XIV. P. M
IN . CAPITOLIO
MVNIFICENTISSIME . COLLOCAVIT
ANNO . CIↃCCXXXXII
PONT. III


(II)
FRAGMENTA . ICHNOGRAPHIAE . ANTIQVAE . ROMAE
PRIORIBVS . XX. TABVLIS . COMPREHENSA
EO . SVNT . ORDINE . QVO . A . BELLORIO . EDITA
SVPPLETIS . ATQVE . ASTERISCO . * NOTATIS
QVAE . POSTEA . INTERCIDERE
RELIQVAE . TABVLAE . VI
ALIA . EXHIBENT . HACTENVS . INEDITA
TABVLAE . ADIECTA . EST . COMPENDIARIA
PEDVM . ANTIQ. ROM. LXXX. MENSVRA
EX . EORVMDEM . FRAGMENTORVM . COLLATIONE
CVM . VETERIBVS . AEDIFICIIS . DEPROMPTA

(5) A. Eruditos omnes, quos conſului, latet hæc *Recentis Urbis Ichnographia*, quam Bellorius Andream Buſalinium ſibi ſynchronum brevi editurum, pollicetur. Ex hoc ipſo non imprudenter omnino conjicere poterimus, eamdem publicâ luce haud amplius ab ipſo fuiſſe donatam. Quis, & cujus Regionis hic Andreas Bufalinius extiterit, paritet ignoratur. Comes Nobiliſſimus, idemque Eruditiſſimus Johannes Maria Mazzucchellius Italiæ, & Brixiæ decus duos refert Bufalinios Tiphernates in ſuâ Italorum Scriptorum Hiſtoriâ Volum. II. Part. IV., ſed neminem eorum Urbis Ichnographiam adornaſſe, prodit. Hoc unum verò dumtaxat ſcimus, ineunte ſeculo XVI, floruiſſe quemdam Leonardum Bufalinium Domo Foro Julii, qui Urbis *Ichnographiam* anno CIↃIↃLI evulgavit, quam poſtea recudit anno CIↃIↃCCXLVIII Johannes Baptiſta Nollius Geometra, & Architectus Novocomenſis. ipſamque Silvio Valentio Gonzagæ S. R. E. Cardinali meritiſſimo, aliquot ab heinc annis defuncto, tuncque Sanctiorum rerum a Secretis dicavit.

Nos fragmenta ipſa interpuncta, ac diſtincta eâ facie, quâ lacera, ac diſrupta ſuperſunt, mutiloſque titulos nudè, ut jacent, hiſce tabulis delineari, incidique curavimus. Uſi porrò ſumus Veſtigii vocabulo haud veteris ſignificationis, a Daniele Barbaro tamen, Bernardino Baldo, Guillielmo Philandro in Vitruvium, atque a Johanne Baptiſtâ Villalpando in Apparatu Urbis, ac Templi Hieroſolymitani, aliiſque in uſum recepto; cum Latina lingua propriam vocem non habeat, quæ Græcorum Ichnographiæ adamuſſim reſpondeat. Quæ verò in his fragmentis reſtituendis minimè aſſecuti ſumus, efficient, ut irriti conatus noſtri aliorum eruditioni ad illuſtrandas antiquitates ſint incitamenta.




CORNI-


CORNIFICI
MINER
BAE
HOR
LOLI
REA
LIANA

TABULA. I.

CORNIFICIA



DOMUS Cornificii, ſeu Cornuficii, ut habent veteres nummi, a P. Victore cenſetur Regione XII. Piſcinâ Publicâ, quæ a Circo Maximo tendebat ad Thermas Antoninianas. Pancirollus in Notitiam Cornificium intelligit, qui floruit ſub Auguſto, ejuſque exercitui præfuit in Siciliâ, ædemque Dianæ (6) (7), hortatu ipſius Auguſti, Romæ condidit, ut Dion, & Tranquillus (8). Peramplam etiam ædificavit Domum, quæ, ut videmus, gradus habuit, atrium, ſeu veſtibulum cum porticibus, ut Vitruvius de Ædibus Nobilium, qui honores, Magiſtratuſque gerunt, animadvertit: *Nobilibus verò, qui honores, Magiſtratuſque gerendo præſtare debent officia Civibus, facienda ſunt veſtibula regalia, alta atria, & periſtylia ampliſſima, ſylvæ, ambulationeſque laxiores ad decorem majeſtatis perfectæ*. Quâ Regionis parte ſita fuerit Domus Cornificia, in obſcuro latet, ſed lucem affert noſtrum veſtigium è proximo Delubro Minervæ.

P. Victor de Reg. Urb. Rom. libel.

Pancirol. in Notit.

Dion. lib. XLIX. pag. 393.
Tranq. Sveton. in Vit. Aug. cap. 29.

Vitruv. lib. VI. cap. 8.

(6) I & A. Romæ verò multa extiterunt Templa ſacra Dianæ, ut diſcimus ex Plutarcho *Quæſt. Roman.* 4. Διὰ τί πολλῶν ὄντων ἐν Ῥώμῃ ναῶν Ἀρτέμιδος ..... *Quare ex multis exiſtentibus Romæ Dianæ Templis* ..... Berneggerius exiſtimat, Templum Dianæ a Lucio Cornificio in Aventino excitatum fuiſſe.

(7) A. Melius heic ſe geſſiſſet Adnotator noſter, ſi ſecundæ adnotationis parti pepercisſet; Nam nimis facilè, atque adeò nimis temerè in Berneggerii ſententiam venit, ut ipſe quoque ſe ad credendum induxerit, L. Cornificium in Aventino Dianæ Templum conſtruxiſſe, cum ex Livii Decad. I. lib. 1., & ex lib. *De Vir. Illuſtr. Urb. Rom.* Sex. Aurelii Victoris appareat, Servium Tullium VI. Romanorum Regem eum fuiſſe, qui Latinorum populis Auctor fuit, ut exemplo eorum, qui Dianæ Epheſiæ Ædem fecerant, & ipſi Ædem Dianæ in Aventino ædificarent. Videat ergo eruditus Lector, quantùm hujus Dianæ Ædis in Aventino conſtructio Cornificii tempora anteceſſerit, ut propterea ipſe alio in loco eamdem peregerit, neceſſe ſit. Minori ſed tamen inveriſimilitudine rem Berneggerius involviſſet, ſi a Cornificio vel reſtauratum, vel refectum Dianæ Templum in Aventino affirmaſſet; quandoquidem ſcimus ex Svetonio *in Vit. Aug.* lib. II., auctorem fuiſſe Auguſtum Principibus Viris, ut pro facultate quiſque ſuâ monumentis vel novis, vel refectis, & excultis Urbem adornarent, inter quos cum numeretur L. Cornificius tamquam Ædis Dianæ conſtructor, facilè a quopiam ſuſpicari poſſet, L. Cornificium non novum Dianæ Templum in Aventino a fundamentis excitaſſe, ſed illud ipſum, quod Latini Servii Tullii ætate ædificaverant, temporum injuriâ fortaſſe collapſum redivivo lapide denuò extruxiſſe. Verùm quis hoc teſtatur? Nemo ex Veteribus, quem ſciam. Quare inter nugas, & apinas amandetur.

(8) A. Heic Adnotator noſter, quemadmodum, obelo appoſito, ſignat in margine, voluiſſet poſt τὸ *Siciliâ* ſubjungi „ ut ex Dione ſcimus lib. 49. „ Tum poſt τὸ *condidit* addi „ ut teſtatur Tranquillus Svetonius *in Vitâ Auguſti* cap. 29. „ Et quidem accuratiùs, quam Bellorius, heic ſe gerit adnotator noſter, dum ſcilicet de Cornificii præfecturâ exercitus in Siciliâ teſtem Dionem unicè ſtatuit, tum de Ædis Dianæ conſtructione Svetonii auctoritatem ſeorſim producit, & non promiſcuè de unâ, eâdemque re utriuſque Scriptoris teſtimonium adhibet, ut non ſatis aptè ſe geſſit Bellorius; cum Dion exercitus præfecturam dumtaxat in Siciliâ, & Svetonius Ædis Dianæ conſtructionem tantùm referat, ut nos datâ operâ diligenter animadvertimus, non verò utrumque hoc ſimul, ac junctim unuſquiſque eorum innuat, ut ex Bellorio comminiſci poſſe, videtur.

MINERBÆ

P. Victor de Region. Vrb. Rom.

REgio XII. Piſcina Publica, in quâ cenſeri diximus Domum Cornificiam, confinis erat Regioni II. Cælimontanæ, ubi a P. Victore cenſetur etiam Delubrum Minervæ cognomento Captæ (9), proximum quidem Cornificiæ in utriſque ambarum regionum confiniis, ut ex noſtro veſtigio patet. Locum Minervæ indicat Ovidius in infimo Clivo Montis Cælii; Alexander Donatus ſtatuit non longè ab Æde Divi Gregorii; deque ejuſdem ſitu, & Quinquatriis ſic Ovidius in Faſtis.

Alexand. Donat. de Vrb. Rom lib. III. cap. 12.
Ovid. in Faſt. lib. III. v. 819., & 835.

Una dies media eſt, & fiunt ſacra Minervæ
Nomina, quæ a junctis quinque diebus habent.

. . . .

Cælius ex alto, qua mons deſcendit in æquum,
Hic ubi non plana eſt, ſed prope plana via.
Parva licet videas Captæ delubra Minervæ,
Quæ Dea natali cœpit habere ſuo.

Domus ergo Cornificia proxima erat Minervæ Delubro in planicie, quæ a Circo Maximo tendit ad Thermas Antoninianas.

Hæc Minervæ Ædes exemplum præbet proſpectus, qui Peripteros (10) dicitur a Vitruvio, quaſi circumalatus; alæ autem columnæ ſunt a lateribus ambientes Ædem. Cum verò columnatio in fronte, & poſtico ſimplex ſit, formationem etiam, & exemplar præbet ædis Pſeudodipteros dictæ ab eodem Vitruvio, hoc eſt ſimplicem habentis ordinem columnarum, ad differentiam Dipteri Ædis, quæ duplicibus alis, & columnationibus ambiebatur, & ſic Pſeudodipteros eſt Dipteron mentiens. Vitruvius hoc Hermogenis Architecti inventum laudat; is enim interiori columnatione ſublatâ, laxiorem circa cellam ambulationem fecit, & ſumptus tantùm, aſpectum non immi-

Vitruv. lib. I. cap. I.

(9) A. Fruſtra quæſivimus apud P. Victorem in Regione II. Cælimontanâ Delubrum Minervæ Captæ, licet tamen revera Onuphrius Panvinius *Comment. Reipub. Rom.* lib. I. ipſum in hac II. Regione recenſeat. Multa alia fuerunt Minervæ Templa, ac inter cetera illud Minervæ Flavianæ, quod Vaillantius *de Numm. Argent. Imper.* Tom: II. collocat Regione VII, quamquam & ipſe inſigniter fallitur, cum hoc Templum & a P. Victore, & ab Onuphrio Panvinio Regione VI. altâ ſemitâ referatur. Hujus Templi typum habemus in nummis Titi, & Domitiani.

(10) I. Sic enim Vitruvius: *Peripteros autem erit, quæ habebit in fronte, & poſtico ſenas columnas, in lateribus cum angularibus undenas, itaut ſint hæ columnæ collocatæ, ut inter columnii latitudinis intervallum ſit a parietibus circùm ad extremos ordines columnarum, habeantque ambulationem circà cellam ædis &c.*

imminuit. *Eas autem ſymmetrias conſtituit Hermogenes, qui etiam primus octaſtylon, pſeudodiptirive rationem invenit. Ex dipteri enim Ædis ſymmetriâ ſuſtulit interiores ordines columnarum triginta quatuor, eâque ratione ſumptus, operiſque compendia fecit. Is in medio ambulationi laxamentum egregiè circa cellam fecit, de aſpectu nihil imminuit, ſed ſine deſiderio ſupervacuorum conſervavit authoritatem totius operis diſtributione.*

HORREA LOLLIANA

LOlliana, non Loliliana; namque interiectum I. ſignum in marmore, non littera eſt. A Lolliis Lolliani Conſulares, qui floruerunt ſub Septimio Severo (11). Lollianus, qui, & Gentianus, collegam habuit Baſſum in Conſolatu anno Urbis DCCCCLXIV, ejuſque munia in lapidibus deſcribuntur apud Gruterum. Sequens mutila Inſcriptio eſt: *Gruter. Inſcr. antiq. pag. 404. n. 6.*

Q. EPIDIO L. F. POL. RVFO
LOLLIAN. GENTIANO
AVGVRI. COS. PROCOS. PROV
LVGDVNENSIS. COMITI
IMPP. SEVERI. ET. ANTONINI
AVGG. LEG. LEG. XX

Famianus Nardinus in ſuâ antiquâ Româ ex Panvinii deſcriptione Regionis XII recenſet Fontem Lollianum, ſubditque Inſcriptionem: *Famian. Nardin. Antiq. Rom. lib. VII. cap. 6.*

APPIO. ANNIO. BRADVA
T. VIBIO. BARO. COS
MAGISTRI. FONTIS. LOLLIANI
M. VVLPIVS. FELIX
N. CONFLONIVS. VITALIO
C. CLODIVS. SATVRNINVS

Cete-

(11) A. Habemus in nummo argenteo ſede Curuli, & duabus ſpicis inſignito apud Urſinium quemdam M. Lollium Pelicanum Ædilem Curulem, atque cum conſtet, Ædiles annonæ curationem inter cetera munia habuiſſe, cur hunc M. Lollium Pellicanum eorumdem horreorum conſtructorem non pronunciemus?

Ceterùm in ſingulis Urbis Regionibus ultrà privata multa erant publica horrea, quæ Lipſius in Electis ex P Victore ad CCIX agnoſcit (12). Sumebant nomina ab Auctoribus; Horrea Aniceti, Varganteii, Sejani, & ab ipſis Imperatoribus; Horrea Auguſti, Domitiani. Horreis verò utebantur non tantùm ad reponenda frumenta, verùm etiam ad alia commoda; nempe ad aſſervanda ex publico depoſita, & pignora. Scribit Lampridius, Alexandrum Severum ædificaſſe publica horrea ad cuſtodiam etiam privatorum bonorum (13): *Horrea in omnibus regionibus publica fecit, ad quæ conferrent bona hi, qui privatas cuſtodias non haberent* (14). Extitere inſuper plurima frumentaria horrea ad quotidianum victum, & publica alimenta ex liberalitate Romanorum Imperatorum, ut abundè idem Lipſius; nec alio ſenſu accipienda videntur Horrea Auguſti, Horrea Domitiani ab eiſdem ſcilicet Imperatoribus, qui horrea ad publica alimenta conſtituerunt. Hæc plurimùm aucta ſub Trajano, & Hadriano pueris, puelliſque alimentariis Romæ, & per univerſam Italiam admiſſis (15). In noſtro veſtigio cellæ in quadraturam diſpoſitæ cernuntur, inque earum medio cavædium, ſive cohortile Corinthium denominatum a Vitruvio, quod differebat a Tuſcanico genere, quoniam trabes ab atrii latitudine trajectæ imponebantur columnis, quæ in noſtro cavædio apparent. Cavædia Tuſcanica nullas circumhabebant porticus. Vitruvius de Cavis ædium: *In Corinthiis iiſdem rationibus trabes, & compluvia collocantur, ſed a parietibus trabes recedentes in circuitionem circa columnas componuntur*: Peramplam verò aream, quam cum porticibus inſpicimus, ad horreorum uſum aptam cenſemus.

J. Lipſius in Electis lib. 1. cap. 8.

Ael. Lamprid. cap. 39. pag. 558.

Vitruv. lib. VI. cap. 3.

Veſti-

(12) A. Neſcio, an Bellorii, vel Typothetarum oſcitantiâ factum fuerit, ut heic Horrea, quæ olim Romæ extitiſſe, ſcimus, ex P. Victore ad CCIX. a Lipſio recenſeri, vulgatum fuerit, cum eorum Lipſium ad CCCIX numerum iniviſſe, cognoverim. Ceterùm heic monere præſtabit, difficile eſſe ad exactam, certamque calculi rationem Horrea, quæ a Victore ſingulis Regionibus recenſentur, a quoquam revocari poſſe, cum ita in iiſdem numerandis differant exemplaria, ut dum ea nos ad duorum exemplarium, quibus nunc utimur, normam exegimus, eadem ad diverſas rationes modò augeri, modò minui, nobis contigerit.

(13) l. Inter ea, quæ in his horreis reponebantur, inſtrumenta argentariorum fuiſſe, conſtat ex leg. VI. ff. *De edendo* &c.

(14) l. Salmaſius hunc locum Lampridii caſtigat adnotans, horrea hæc ante Lampridium fuiſſe ex Paullo de officio Præfecti Vigilum. Verùm Lampridius ſolùm dicit, certa horrea in quacumque Regione Alexandrum ædificaſſe, neque veró negat, nonnulla & antea fuiſſe ædificata. De horreis, & horreariis frequens mentio in Pandectis.

(15) A. Primus Trajanus inſtituit Pueros Alimentarios, ut conſtat ex hujus Imperatoris nummo hac epigraphe ſignato: ALIM. ITAL. *Alimenta Italiæ*; atque hinc Pueri iſti dicti etiam ſunt Ulpiani. Teſtatur hoc Plinius in Paneg. Trajani cap. 26. *Hæc prima parvulorum Civium vox aures tuas imbuit, quibus tu daturus alimenta hoc maximum præſtitiſti, ne peterent*. Hoc Trajani ſtudium erga Italiæ ſobolem æmulatus eſt Trajani ſucceſſor Hadrianus, de quo ita Spartianus in ejus vitâ: *Pueris, ac Puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*. Antoninus quoque de Pueris, ac Puellis Alimentariis benè mereri ſtuduit, ut ex pluribus Inſcriptionibus colligere eſt, & præſertim ex illâ celeberrimâ apud Maſſatium Agri Æſini Oppidum detectâ anno MDCCXLVI a Viro Doctiſſimo Mauro Sartio Camaldulenſium in Urbe Antiſtite eruditione, & editis præclaris Libris

lon-

Veſtigium, quod Horreis Lollianis proximum eſt, aream habet muro circumcluſam, in cujus medio ſtatuæ baſis ſita.

Superius veſtigium Cornificiæ proximum ad Thermas ſpectare videtur.

C POR-

---


longè clariſſimo, quam ipſe ſapienter illuſtravit quâdam ejus ad Johannem Felicem Carattonium J. Conſultum eruditiſſimum epiſtolâ *De antiquâ Picentum Civitate Cuprâ Montanâ*, quamque nos etiam Doctiſſimo Antiſtiti gratum facturi heic denuó edimus eodem prorſus modo, quo ab ipſo legi deprehendimus:

I M P, C A E S A R I
D I V I, H A D R I A N I
F I.....I, T R A I A N I
P A.....C I N E P O T I
DIVI, NERVAE, PRONE
POTI, AELIO, HADRI
ANO, ANTONINO, AVG
PIO, PONTIF, MAX, TRIB
POT, XII, IMP, II, COS, IIII
P, P, PVERI, ET, PVELLAE
.....M E N T A R I
CVPRENSES, MONTANI

In honorem verò Fauſtinæ uxoris ab eodem Antonino conſtitutæ ſunt *Puellæ Fauſtinianæ*, quæ memorantur in pluribus ipſius nummis. M. Aurelius etiam in honorem Fauſtinæ Junioris Uxoris ſuæ *novas Puellas Fauſtinianas* de ejus nomine dictas inſtituit, ut narrat Capitolinus; Tum Alexander Severus *Mammæanos Pueros*, & *Puellas* Juliæ Mammææ Matri dedicavit, ut eſt apud Lampridium, a quo etiam accipimus, tale aliquid vel feciſſe, vel ſaltem certè cogitaſſe Macrinum, ut *Pueros Antoninianos* de Antonini Diadumeniani Filii nomine dictos inſtitueret. Sed hi poſtremi Pueri in aliorum honorem inſtituti diverſi ſunt ab iis, qui per Italiæ Civitates alebantur, ut diſertè, & luculenter laudatus Sartius docet in ejus epiſtolâ cap. VIII.



Vaso cinerario copiato da disegni di Pir-ro Ligorio nella Libbraria Vaticana


II
CVS OCTAVIAE ET HE
AEDIS IOVIS
AEDIS IVNONI S
AEDIS HERCVLIS MVS AI
L A
AQVE
DVCTI
VM

TABULA. II.

PORTICVS. OCTAVIAE. ET. HErculis
AEDIS. IOVIS
AEDIS. IVNONIS
AEDIS. HERCVLIS. MVSARVM (16)(17)



MIRARE in hoc inſigni veſtigio Octaviæ, & Herculis Muſarum porticus: immò columnarum ſilvas, & Romanam magnificentiam in ædificando, inque ipſis porticibus exultas Deorum ædes. Quatuor ſimul ædificia continentur in hoc fragmento: Porticus Octaviæ, Ædes Jovis, Ædes Junonis, Ædes Herculis Muſarum, quibus exquirendis ſtudium impendimus. Duæ fuerunt Octaviæ Porticus, altera Octaviæ ſororis Auguſti theatro Marcelli propior; altera Gn. Octavii, qui de Rege Perſeo triumphavit (18), propinquior Pompeii thea-

---

(16) I. Harduinus in Plinium cap.4. lib.36. n.119. hos titulos ſpurios vocat. En verba: *Sunt hi ſpurii tituli: Numinum nomina inſcribi delubris moris antiqui ſanè fuit, at adjici verbum* AEDES *ab omni prorſus fuit uſu alienum*.

(17) A. Quam facilè res ſpurias inſcribit, quamque audacter etiam marmora ipſa falſitatis notâ inurit Harduinius! Verumtamen ex quo unquam penu hæc hauſit doctrinæ portenta, ut tam confidenter, & expeditè pronunciet, Deorum Templis verbum AEDES nunquam inſcriptum fuiſſe? Conſulat ergo Gruterium eruditus Lector, niſi quis ſit, qui παραδοξο[illegible] Scriptoris ſectator ſit veluti pedarius, quique propterea etiam marmoribus fidem detrahat, ac falſitatis ſuſpicionem inducat, atque, ſi Superis placet, offendet pag.XXXVIII. num. 19.

C. IVLIVS. PHILVMENVS
AEDEM. APOLLINIS
EX. VOTO
RE . . . .

Tum pag.C. num 6.

AEDEM. CONCORDIAE. VETVSTATE. COLLAPSAM
AMPLIOREM. OPERE. CVLTV. QVE. SPLENDIDIOREM
RESTITVIT
S. P. Q. R

Atque demum ſexcentis aliis in locis, quæ moleſtiæ evitandæ cauſsà ſciens prætereo. Nec verò ſilendum, hanc AEDIS vocem extare ſæpe in nummis, ut videre eſt in eo, qui in honorem Fauſtinæ apotheöſi jam inſignis, Antonino Pio imperante, percuſſus eſt, quique refertur a Vaillantio Tom.II., & in quo ſignatum cernimus: AED. DIV. FAVSTINAE. Aereum etiam numiſma habemus apud Mediobarbium cum epigraphe: AEDE : DIVI. AVG. REST. Verùm reponet aliquis, eâ id tantùm mente aſſeruiſſe Harduinium, ut de hoc ſimplici, ac nudo verborum contextu tantùm cenſuerit, non verò de quocumque, in quo verbum *Ædes* uſurpetur. Verùm hac ratione & etiam illud PORTICVS. OCTAVIAE. falſitatis inſimulare poterat: Quæ enim potior ratio, cur tantùm de τῷ AEDIS &c. pronunciaverit? Sciendum ergo, non heic ſignata hæc eſſe tamquam horum Ædificiorum Epigraphes, quas ipſa revera in fronte gererent, ſed tantùm tamquam titulos, & indices, qui ædificiorum uſum, & nomen, quæ hoc in marmore inſculpta ſunt, ſpectatoribus deſignent, ut in Tabulis Ichnographicis, quin & Geographicis, ceteriſque ſimilibus fieri ſolet. Et ita fieri, neceſſariò quidem oportuit, quando ſi ſola tantùm Numinum nomina hiſce in monumentorum veſtigiis exarata fuiſſent, quodnam unquam Numinibus illis ſacrum certò pronunciari potuiſſet? Incertum fuiſſet ſiquidem, an Ædes, vel potius Porticus, vel Arcus, vel Atrium, aut ſimile aliud cenſendum foret illud ædificii veſtigium, quod exhibetur, præſertim cum veſtigii indoles ea ſit, ut non omnia ædificii lineamenta, & integram frontem exprimat, ex quâ potiſſimùm ædificiorum diſcrimina innoteſcunt.

(18) I. Cn. enim Octavius porticum ex manubiis condidit, Perſe Macedoniæ Rege triumphato. Duplex columnarum ordo huic ædificio erat, unde Porticus *duplex* eſt dicta. Vellejus *amœniſſimam* vocat: A ſtructurâ dicta eſt etiam *Corinthia*, a picturâ verò *Perſei*; Octavius enim res ſuas geſtas in eâ depingendas curavit.

Feſtus lib. xiij. theatro, ut diſtinguit Feſtus: *Octaviæ Porticus duæ appellantur, quarum alteram theatro Marcelli propiorem Octavia ſoror Auguſti fecit, alteram theatro Pompeii proximam Gn. Octavius Gn. Filius, qui fuit Ædilis Curulis, Prætor, Conſul, Decemvir ſacris faciendis, triumphavitque de Rege Perſeo navali triumpho, quam combuſtam reficiendam curavit Cæſar Auguſtus* Prima nobis inſpicienda proponitur perampla, & nobilis Octaviæ Porticus, quadratâ ſtructurâ, *Sveton. in Vit. Auguſt. cap. 29.* incluſis in ipsâ Jovis, & Junonis ædibus. Auguſtus, ut refert Svetonius, nomine Octaviæ ſororis porticum ſtruxit adjectam theatro Marcelli ejuſdem Octaviæ Filii propè Circum Flaminium (19). In ipsâ porticu inter alia ædificia Jovis, & Junonis ædes includebantur, ut ex Plinio conjicitur, cujus locum illuſtrat noſtrum veſtigium. Pli- *Plin. lib. xxxvi. cap. 5.* nius ubi clarorum Artificum nomina, & opera recenſet, de primâ Jovis æde ſubobſcurè, de ſecundâ Junonis expreſsè loquitur: *Intra Octaviæ verò porticus in æde Junonis ipſam Deam Dionyſius, & Polycles. Aliam Venerem eodem loco Philiſcus. Cetera ſigna Praxiteles. Item Polycles, & Dionyſius Timarchidis Filii Jovem, qui eſt in proximâ æde, fecerunt.* Scilicet ſimulacrum Junonis in æde ipſius Deæ, & ſimulacrum Jovis in proximâ Jovis æde: nec ſemel tantùm junctas invenies Jovis, & Junonis ſtatuas, & aras. Eluceſcunt Plinii verba in noſtro veſtigio, ædes ſimul cum titulis Jovis, & Junonis in Octaviæ porticibus exhibente. Videant peritiores, ſint ne duo illa *Vellei. Hiſt. lib. i.* templa, de quibus Vellejus, a Metello Macedonico poſita: *Hic eſt Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis, quæ nunc Octaviæ porticibus ambiun-* *Alex. Donat. lib. iij. cap. 8. Famian. Nardin. lib. vi. cap. 2.* *tur, fecerat.* Junonis, & Apollinis autumant Alexander Donatus, & Famianus Nardinus; nos Jovis, & Junonis aſſerimus noſtri veſtigii fulti auctoritate. Harum ædium architectos docet idem Plinius *Plin. lib. xxxvi. cap. 5.* Saurum, & Batrachum Lacones, qui nominum eorum argumenta ranam, atque lacertam in columnarum ſpiris inſculpſere: *Nec Sauram, atque Batrachum obliterari convenit, qui fecere templa Octaviæ porticibus incluſa, natione & ipſi Lacones. Quidam & opibus præpotentes fuiſſe eos putant, ac ſuâ impensâ conſtruxiſſe, inſcriptionem ſperantes, quæ negata, hoc tamen alio loco, & modo uſurpaſſe.* Sunt

(19) I. & A. De porticibus, quas extruendas Auguſtus curavit in Octaviæ ſororis honorem, loquitur etiam Dion lib. 49., ac præterea dicit, ad id inſerviiſſe Dalmatum ſpolia: Ἐπειδή τε οἱ Δαλμάται παντελῶς ἐχειρῶντο, τάς τε στοὰς ἀπὸ τῶν λαφύρων αὐτῶν, καὶ τὰς ἀποθήκας τῶν βιβλίων, τὰς Ὀκταουϊανὰς ἀπὸ τῆς ἀδελφῆς αὐτοῦ κληθείσας, κατεσκεύασεν: *Ex manubiis porrò Dalmatum protinus ſubactorum fornices, & Bibliothecas a ſororis nomine Octavianas dictas extruxit.* Ovidius *de art. amand.* lib. I. v. 69. loquitur de Porticu Octaviæ Marcelli theatro proximâ, ubi canit:

Aut ubi muneribus Nati (i. e. Theatro Marcelli) *ſua munera Mater*
Addidit, externo marmore dives opus.

Sunt certè etiamnum in columnarum ſpiris inſculpta nominum eorum argumenta, Rana, atque Lacerta(20). Cognomen adhuc retinet Eccleſia Sanctæ Mariæ in Porticu, nunc Sanctæ Gallæ, quam fuiſſe Junonis ædem, alteram verò proximam Eccleſiam Sancti Nicolai ædem Jovis, autumat Andreas Buſalinus. In hujus exteriori angulo reliquiæ remanent Dorici generis. Has ædes incendio vexatas inſtauraſſe Hadrianum, ſuadet Inſcriptionis fragmentum effoſſum in molitione domus propè eamdem Eccleſiam, quod in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Maximi ad Quatuor Fontes adſervatur:

IMP. CAESAR
DIVI. NERVAE. NEPOS
PONTIFEX. MAXIMVS
HAS. AEDES. INCENDIO
CAIVS. MARCVS. PVBLIVS
ET. INCENDIO. VEXATAS

Octaviæ Porticum rationibus Jonicis extructam fuiſſe, indicant columnæ plurimæ cum Jonicis capitulis, quæ non ſolum medianam navem Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Porticu ſuſtinent, ſed etiam domos aliquot prope eamdem Eccleſiam fulciunt. Ante veſtibulum ambarum ædium in noſtro veſtigio baſes poſitæ ſunt, in quibus ſive Deorum, ſive illuſtrium Virorum ſigna eminebant. Octaviæ porticus ſtatuis, picturis, ceteriſque ornamentis inſignes fuere. Includebant veteres ejuſdem Metelli porticus, qui, Macedoniâ ſubactâ, Lyſippi ſtatuis Romam translatis eas porticus exornavit, frontem ipſarum ædium ſpectantibus, ut ex Velleji loco ſupra citato: *Hic eſt Metellus Macedonicus, qui porticus, quæ fuere circumdatæ duabus ædibus ſine inſcriptione poſitis* (21), *quæ nunc Octaviæ porticibus ambiuntur, fecerat; quique hanc turmam ſtatuarum equeſtrium, quæ frontem ædium ſpectant, hodieque maximum ornamentum ejus loci, Macedoniâ detulit*(22). In cellâ ambarum ædium ara poſita eſt; Vellej. lib. I.

D ſed

(20) I. Græci lacertam vocant σαῦρον, & σαῦραν, ranam βάτραχον.

(21) I. Huic ſententiæ adverſari Plinium, cenſet Lipſius, quod lib.36. cap.4. n.5. ſcribat: *Intra Octaviæ Porticus in Junonis Æde Æſculapius, ac Diana &c.*, & poſtea aliud exemplum Jovi inſcribat. Utrumque autem auctorem conciliat dicens: *Vellejum de aliâ inſcriptione ſenſiſſe non Numinis, ſed hominis, ejuſque, qui dedicavit.*

(22) I. De Statuis è Macedoniâ a Metello delatis ita Plinius lib.34. c.19. n.6. *Turmam Alexandri, Amicorumque ejus imagines ſummâ omnium ſimilitudine* (Lyſippus) *expreſſit. Has Metellus, Macedoniâ ſubactâ, tranſtulit Romam.* Porrò quoſnam repræſentarent hæ Statuæ, dubitatur. Vide Lipſium in Vellejum pag.18. De loco verò, ubi primò fuerunt poſitæ, animadvertendus eſt Arriani locus lib.I., unde hoc ſcire poſſemus, alios ita vertere, ut dicat poſitas *in templo Jovis*, alios verò ut dicat poſitos *in Dio* Regionis Pieriæ oppido, quod quidem Livius decad.5. lib.4. *Urbem* vocat *exornatam multis locis, & multitudine Statuarum.*

ſed Jovis pronaon contra antas habet columnas binas, quibus magnificè pronaon ipſum exornatur; in poſtico nulla columnatio, ſed area, & muri, qui utramque ædem concludunt. In frontis porticus medio ſex utrinque majores columnæ poſitæ ſunt ſuſtinentes faſtigium, atque e conſpectu grandes baſes duæ, quæ ſanè Arcum, aut Jani proximum templum deſignant, de quo Nardinus Regione IX, & Donatus lib. II.

Famian. Nardini lib. vi. cap 2. Alex. Donat, lib. ii. cap. 16.

AEDIS. HERCVLIS. MVSARVM

PRope Octaviæ Porticum in Circo Flaminio Ædes fuit Herculis Muſarum, cujus meminit Eumenius in oratione pro reparandis Scholis: *Ædem Herculis Muſarum in Circo Flaminio Fulvius ille nobilior ex pecuniâ cenſoriâ fecit* (23), *non id modò ſecutus, quod ipſe litteris, & ſummâ Poetæ* [Ennii] *amicitiâ duceretur, ſed in Græciâ cum eſſet Imperator, acceperat, Herculem Muſagetem eſſe, hoc eſt comitem, Ducemque Muſarum. Idem primus novem ſigna, ideſt Camœnarum, quæ èx Ambracienſi Oppido translata ſunt, ſub tutelâ fortiſſimi Numinis conſecravit, ut rès, quæ a mutuis operibus juvari, ornarique deberent, Muſarum quies defenſione Herculis, & virtus Herculis voce Muſarum &c.* (24) (25). Eumdem Fulvium ædis con-

Eumen. Orat. pro repar. Schol. n. 7.

(23) A. Sequentia deſiderabantur in prioribus Bellorii editionibus, cum heic nunc tantùm ſatis appoſitè ſignaverit in margine adnotator, eo, opinor, voto, ut prioribus ſubjicerentur. Sed ita tamen mendis, variiſque lectionibus ipſe reſperſerat, ut nos medicas manus admovere coacti fuerimus.

(24) I. De Fulvii expeditione in Ambracienſes Livius lib. 38. Nummus antiquus Pomponiæ Gentis (teſte Harduino in Plin. lib. 35. cap. 10. n. 23.) habet HERCVLES. MVSARVM, & in eo Hercules cum Lyrâ, & ex aliâ parte caput Numæ Pompilii, unde Gens Pomponia. Ex hoc nummo Harduinus finxiſſe imperitos, ait AEDEM. HERCVLIS. MVSARVM, cum eſſet legendum: HERGVLES. signis. MVSarum. Ambracienſibus. Romuli. vrbem. Muneravit, & pariter apud Gruterium falsò legi: Ἡρακλῆς Μουσαγέτης.

(25) A. Quis Harduinium non colat ut novum II. Virum ſacris faciundis, ut propterea haud ipſo fuerit antiquitùs apud Romanos in ſybillinis verſibus enodandis argutior, atque præſtantior? Videat ergo eruditus Lector, quam audacter hanc Epigraphem verè famigeratiſſimam HERCVLIS. MVSARVM commentitiâ, & cerebrosâ prorſus lectione traducat, ut ipſam exprimere velit per compendiarias notas, quæ ab ipſo ſupplentur: HERCVLES. signis. MVSarum. Ambracenſibus. Romuli. vrbem. Muneravit. Ut hujus Scriptoris nimis audax, atque adeo inveriſimilis argutatio pateſcat, adverto primùm, conſueviſſe Romanos ſigla adhibere paullò extenſiora, nec adeo mutila, & decurtata, ne legentibus obſcuritatem crearent, præſertimque cum nomina propria Virorum, Urbium, Provinciarum, ceterorumque ſimilium erant exprimenda. Quis ergo ab unicâ notâ S. *Signis* exprimi, ab A. *Ambracienſibus*, ab R. *Romuli*, atque a ceteris, quæ ſequuntur, ſingularibus notis integra illa vocabula ſignificari harioletur? Diſpeream, ſi hiſce enodandis vel ipſe Oedipus par fuiſſet. Deinde animadverto, Romanorum morem eum fuiſſe in Epigraphis concinnandis, ut brevitati ſtuderent, atque paraphraſes perpetuò effugerent. Hinc videant φιλαρχαῖοι omnes, an pro *Româ* exprimendâ *Romuli Urbem* III. Viri Monetales per circumlocutionem illam invexiſſent in nummi epigraphe, cujus indoles ea eſt, ut βραχυλογίᾳ perpetuò, ac præcipuè gaudeat. Huc adde, quod Critices regula apud omnes Eruditos eſt, & habetur, ut Epigraphes illæ, quæ integra verba aliquid ſignificantia exhibent, in ſigla non diſpertiantur, ne ex unâ voce, quæ certa eſt, & clara, plures incertæ, aut commentitiæ prodeant. Quid ergo neceſſum erat Harduinio voces illas HERCVLES. MVSARVM per ſe clariſſimas, ac celeberrimas in tot ſigla, quot penè litteræ ſunt, membratim dividere, ut dein portentoſa illa, quam ſupra recitavimus, lectio oriretur? Tum non valde mihi arridet illud *Muneravit*, cum vel archaiſmum, vel ſequioris ſeculi conſuetudinem oleat: ſemel enim tantùm a Plauto in Capt. 5. 1. 15., & a Seneca

conditorem laudat Cicero in Oratione pro Archiâ, ipſamque inſtauratam a Martio Philippo Vitrico Auguſti probat Alexander Donatus ex Svetonio: *Multaque a multis extructa ſunt, ſicut a Martio Philippo Ædes Herculis Muſarum* (26). Quoad titulum PORTICVS. OCTAVIAE. ET. HE- libenter interpretaremur HECATONSTYLON: Sic Porticus Pompeii Hecatonſtylon dicta, hoc eſt centum columnarum; ſed obſtat in fragmento lapidis ſubſequens littera diſtrupta, quæ pedem habet rectum, non curvatum in C, unde interpretamur Porticus Octaviæ, & Herculis ex duplici conjecturâ. Occurrit primò nobilis Herculis pictura Artemonis manu efficta, quæ in Octaviæ por-

Cic. Orat. pro Arch.

Sveton. in Auguſt. cap.29.

neca epiſt.119. uſurpatur. Potuiſſet igitur ſaltem Harduinius verbum hoc ad Auguſtei ſeculi genium inflectere, ut etiam ad Alvarii ſui præcepta rectiùs loqueretur. Tandem cur hæc religio Harduinium inceſſit, ut aliter hanc Epigraphem legendam voluerit, quam revera proſtet, quando *Muſarum* nomini etiam nomen *Herculis* copulatum invenitur in Svetonio, in Plutarcho, atque in veterum Inſcriptionibus, quas juvat producere, parcens heic Svetonii, & Plutarchi teſtimonio, quando primum jam refertur a Bellorio, & ſecundum in proximâ adnotatione producam. Apud Gruterium ergo p. XLVIII. n.8. hæc proſtat Inſcriptio, quamvis falſa ab Harduinio prædicetur:

ΗΡΑΚΛΗΤωι . ΜΟΥ ΑΓΗΤΗι
ΜΗΝΟΦΙΛΟC

Tum apud eumdem pag. MDCC. n.5. in app. legitur:

HERCVLI. MVSARVM. PYTHVS

Quis ergo tantis teſtimoniis niſi impudens aliquis verendæ antiquitatis contemptor obluctetur. Tum hiſce etiam in Inſcriptionum lapidibus inter cetera Herculæ Divinitatis ſymbola cernitur lyra, & plectrum, quibus certè eam ſocietatem, & conjunctionem inter Herculem, & Muſas, quæ pluribus ab Eunemio ſuperiùs innuitur, luculenter deſignari, nemo non videt. Favet ſententiæ noſtræ etiam Pomponius Lætus in *Rom. Hiſt. Compend.* ad vitam Diocletiani, ubi ſic ait; *Hercules, qui magna geſſit, materiam præbuit Camœnis concinendi, harumque Comes habitus eſt, unde* Muſagetes *appellatur*. Accedit deinde, quod Urſinius in duobus nummis de Gente Pomponiâ, in quibus proſtat & hæc epigraphes: HERCVLES. MVSARVM, inter alia docet, tradidiſſe Theocritum, Herculem a Lino Cythariſticam didiciſſe; quamquam heic aliquantulùm erraverit Urſinius, cum Theocritus Idyllio κδ. 31. v.103. & ſeqq. afferat, Herculem a Lino litteras didiciſſe, Cythariſticam verò ab Eumolpo. Juvat heic carmina ipſa Theocriti producere tum ut ſententiæ noſtræ ex iiſdem majus pondus accedat, tum ut clariùs Urſinii hallucinatio pateſcat:

Γράμματα μὲν τὸν παῖδα γέρων Λίνος ἐξεδίδαξεν,
Υἱὸς Ἀπόλλωνος μελεδωνεὺς ἄγρυπνος ἥρως.
Τόξον δ' ἐντανύσαι, καὶ ἐπὶ σκόπον εἶναι ὀϊστὸν
Εὔρυτος ἐκ πατέρων μεγάλαις ἀφνειὸς ἀρούραις.
Αὐτὰρ ἀοιδὸν ἔθηκε, καὶ ἄμφω χεῖρας ἔπλαξαι
Πυξίνᾳ ἐν φόρμιγγι Φιλαμμονίδας Εὔμολπος.

H. E

Litteras quidem Puerum (Herculem) *ſenex Linus docuit*
Filius Apollinis ſtudioſus vigil Heros,
Arcumque tendere, & directiorem ad metam eſſe ſagittarum
Euritus a patre magnis dives facultatibus.
Verùm cantorem fecit, & ambas manus adaptare
Buxeæ Cytharæ Philamonidis Filius Eumolpus.

Tandem Lævinus Torrentinus ex veteri nummo promit imaginem *Herculis Muſarum*, nempe ſpolium Leonis, & Lyram ferentis, quò videtur reſpexiſſe Ovidius ultimo carmine Faſtorum lib. VI.

Annuit Alcides, increpuitque Lyrâ.

Sed cui bono hæc cumulanda ex Hiſtoricis, Lapidibus, nummis, atque Poetis in Harduinium adnitor? Spuria ipſe omnia dixerit, ſicque tota lis recidet. Verumtamen ego philaletheos alloquor, non dyſanapiſtis occino.

(26) I. & A. Templum, quod heic a Svetonio *Ædes Herculis Muſarum* dicitur, commune erat Herculi, & Muſis, ut eruitur ex Plutarcho *Quæſt. Roman.* 59. Διὰ τί κοινὸς ἦν βωμὸς Ἡρακλέους, καὶ Μουσῶν; *Quare communis erat ara Herculis, & Muſarum?* Ovidius lib. VI. *Faſtor.* v.801. idem Templum appellat:

. . . . *Clara monimenta Philippi.*

Plin. lib. xxxv. cap. 11.

porticibus memoratur a Plinio: *Nobiliſſimas autem, quæ ſunt in Porticibus Octaviæ, opibus: Herculem ab Oetâ Monte, exuſtâ immortalitate, conſenſu Deorum in Cælum euntem.* Conſuevere Romæ nobiles porticus a nobilibus picturis denominari; ut Porticus Europæ, Porticus Argonautarum ab Europæ, & Argonautarum imaginibus; deducto more ab Athenienſibus, qui præclaram Porticum Pœcile dixerunt a variis picturis Polygnoti. Sed urget potior ratio ex aſpectu noſtri veſtigii, in quo Porticus Octaviæ Porticui Ædis Herculis Muſarum juncta conſpicitur; unde uno, eodemque communi titulo comprehenduntur Porticus Octaviæ, & Herculis Porticus, quæ & eadem Philippi eſt. Hic, ut diximus, æde ipſius Herculis inſtauratâ, proximè ingentem, nobilemque Porticum extruxit, de quâ Martialis:

Martial. ad Lucen. lib. v. epig. 50.

Vites cenſeo Porticum Philippi
Ne te viderit Hercules, periſti.

Innuit Martialis, ſtatuam non in porticu poſitam, ſed in templo, ſive in templi veſtibulo. Sic Porticus Argonautarum ab adjunctâ æde Neptuni Porticus Neptuni duplici nomine appellata fuit. Dion: Ἀγρίππας δὲ ἐν τούτῳ τὸ ἄστυ τοῖς ἰδίοις τέλεσιν ἐπεκόσμησε. Τοῦτο μὲν γὰρ τὴν τοῦ Ποσειδῶνος ὠνομασμένην καὶ ἐξῳκοδόμησεν ἐπὶ ταῖς ναυκρατίαις, καὶ τῇ τῶν Ἀργοναυτῶν γραφῇ ἐπελάμπρυνε. H. E. *Agrippa eodem tempore propriis ſumptibus Urbem exornavit, & Porticum Neptuni propter victorias navales extruxit, & Argonautarum picturâ decoravit.*

Dion. lib. LV. pag. 515.

AQVEDVCTIVM

AQuæductus Aquæ Claudiæ agnoſcit in hoc veſtigio Andreas Bufalinus, quorum reliquiæ adhuc viſuntur in Monte Cælio tendentes ad viam triumphalem, & Palatinum (27). Unde ultimum hujus tabulæ ædificium triplici murorum præcinctione Septizonium eſſe Severianum arbitratur; cum Onuphrius Panvinius non diſſimile Septizonii veſtigium oſtendat libro de Ludis Circenſibus in Circi Maximi Ichnographiâ (28). Juxta

Onuphr. Panvin. de Lud. Circenſ. lib. 1.

(27) A. Mediobarbius, & Patinius referunt inter nummos Claudii æneos quoſdam ad Aquam ipſam Claudiam pertinentes, qui averſâ parte in Coronâ Querceâ hanc exhibent epigraphen: S. P. Q. R. P. P. AQVAS . CLAVD . EX . FONTIB . QVI . VOCABANTVR . CAERVL . ET . CVRT . A . MIL . XXXV . IN . ANIENEM . NOVAM . A . MIL . LXII . S . IMPENS . IN . VRB . PERDVC. Verùm Vaillantius To. I. hanc Inſcriptionem novâ manu exaratam arbitratur. Quare Harduiniano τῶν μειχιδίων cenſui cedat.

(28) I. De Septizonio Severiano Spartianus c. 19. de Septimio Severo verba faciens: *Opera publica præcipuè ejus extant, Septizonium, & thermæ Severianæ.*

Juxta Octaviæ Porticum hæc noſtra tabula incipit à veſtigio murorum Urbis, quibus turres, ut & hodie, interjectæ ſunt. De muris, ac turribus Urbis inſtauratis ab Arcadio extabat nobilis Inſcriptio ſuper veteri Portâ Portuenſi Tranſtiberim in molitione novorum mœniûm ſublata:

S . P . Q . R
IMPP . CAESS . DD . NN . INVICTISSIMIS . PRINCIPIBVS
ARCADIO . ET . HONORIO . VICTORIBVS . ET . TRIVMPHATORIBVS
SEMPER . AVGG . OB . INSTAVRATOS . VRBI . AETERNAE . MVROS
PORTAS . AC . TVRRES . EGESTIS . IMMENSIS . RVDERIBVS . EX . SVG
GESTIONE . V . C . ET . INLVSTRIS . MILITIS . ET . MAGISTRI . VTRIVSQVE
MILITIAE . FL . STILICONIS . AD . PERPETVITATEM . NOMINIS
EORVM . SIMVLACRA . CONSTITVIT
CVRANTE . FL . MACROBIO . LONGINIANO . V . C . PRAEF . VRBIS
D . N . M . Q . EORVM




Vestigie del Tempio di Venere, e Cupido con parte del Palatino

E LICA.



Vaſo cinerario trouato in una ſtanza Sepol crale uicino la Porta Capena dentro di Roṁ


LICAL
MENTARIA
ASTRAMISI
TIVM
PLVM D I

TABULA. III.

LICA. L Baſilica Licinii
MENTARIA. Armamentaria.
ASTRA. MISE. Caſtra Miſe
TIVM. natium

AD horum titulorum intelligentiam initium ducimus a Caſtris Miſenatium, quæ locant in Eſquiliis. Auctor eſt Svetonius, Auguſtum Claſſem Miſeni, & alteram Ravennæ ad tutelam Superi, & Inferi Maris collocaviſſe (29) (30). Hi Claſſiarii Romæ ſua Caſtra, & hoſpitia habebant ſive vocati, ſive delecti, ſive aliâ quavis de cauſâ ad Urbem accedentes. Probat noſtrum veſtigium, Claſſiarios Miſenantium Caſtris proximum habuiſſe Armamentarium, quemadmodum Caſtris Peregrinis aliud Armamentarium fuit in Regione Cælimontanâ in deſcriptionibus Rufi, & Victoris memoratum. Cum Neapoli eſſemus in illuſtri Muſeo Franciſci Antonii Picchiatti Regii Architecti, Æneam tabulam, ſive teſſeram inſpeximus palmari magnitudine minorem, quæ pertinet ad Claſſiarios Miſenenſes dimiſſos honeſtâ miſſione, ac Romanâ Civitate donatos ab Imperatore Philippo, ipſamque ineditam hic referre viſum eſt: *Svet. in Aug. cap.49.*

IMP.

(29) I. & A. Loquitur de duabus his Claſſibus etiam Vegetius lib.4. cap.31., & Tacitus Annal. lib.4. cap.5. Dion autem nobis teſtatur, M. Vipſanium Agrippam extruxiſſe portum pro navibus Claſſis Miſenatis lib.48.; atque hunc Portum pro Claſſe inſtructum innuit Virgilius lib.4. *Æneid.* v.233.

Impoſuit ſuaque arma viro, remumque, tubamque.

Plinius erat Præfectus Claſſis Miſeni tunc temporis, quo veſevi cineribus obrutus occubuit, ut narrat Svetonius in ejus Vitâ. Ejuſdem Claſſis etiam Præfectus fuit quidam Plinii Avunculus, ut ex ipſomet Plinio diſcimus in quadam ad Tacitum epiſtolâ, quæ eſt 16. lib 6.

(30) A. Heic Adnotator noſter rem parumper immiſcet, dum Plinium, qui Miſenatenſi Claſſi præfuit, & ad Veſevum occubuit, diverſum facit a Plinii Avunculo, quem ait fuiſſe & ejuſdem Claſſis Præfectum, ut propterea ex uno, qui tantùm fuit, duos extemplò Viros in ſcenam producat. Scilicet ipſe Cajus Plinius Secundus Novocomenſis, qui fuit Præfectus Claſſis Miſeni, & quem Veſevi cineres internecarunt, fuit revera, nec præter eum alter, quem ſciam, Avunculus Plinii Iunioris Veronenſis ex Gente tamen Cæciliâ, quem poſtea Senior per adoptionem in ſuam familiam adſcivit. Et quidem Plinius Iunior in eâ epiſtolâ 16. lib. VI., quam innuit Adnotator noſter, interitum Plinii ex Veſevi cineribus repetit, eumque narrat Tacito, ad quem ſcribit, atque ſimul ipſum hunc Plinium ſui appellat Avunculum. Quare nullus dubitandi locus relinquitur, quin Plinius, qui alterius Plinii Avunculus circumfertur, unus, idemque fuerit, ac ille, qui Miſenatium Claſſi imperavit, quique ad Veſevum mortem occubuit, ac nemo alius præter eum extiterit, de quo ſingula hæc verè prædicentur.

IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG
PONTIF. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. DES. P. P. PROC. ET
IMP. CAES. M. IVLIVS. PHILIPPVS. PIVS. FELIX. AVG
PONT. MAX. TR. POT. IIII. COS. DESIGNAT. P. P
IIS. QVI. MILITANTES. SVNT. IN. CLASSE. PRAETOR. PHILIPPI
ANI. SEV. MISENENSE. QVE. EST. SVB. AELIO. AEMILIANO. PR
OCTONIS. ET. VICENIS. STIPENDIS. DIMISSIS. H. M
QVORVM. NOMINA. SVBSCRIPTA. SVNT. IPSIS. FILIISQVE. EORVM
QVOS. SVSCEPERINT. EX. MVLIERIBVS. QVAS. SECVM. CONCESSA
CONSVETEDINE. VIXISSE. PROBATE. SINT. CIVITATEM. ROMA
NAM. DEDERVNT. ET. CONVB. CVM. ISDEM. QVAS. TVNC. SE
O O
CVM. HABVISSENT. CVM. EST. CIVITAS. IIS. DATA. AVT. SI. QVI
TVNC. NON. HABVISSENT. CVI. S. QVAS. POSTEA. VXORES. DI
XISSENT. DVMTAXAT. SINGVLIS. SINGVLAS. AD. V. KAL. IAN
IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FELICE. AVG. COS. DES. III
ET. IMP. M. IVLIO. PHILIPPO. PIO. FEL. AVG. COS. II. DES. COS
EX. OPTIONE
T. FL. T. FIL. ALEXANDRO. N. ITAL. D. MISEN. ET. MARC
PROCVLAE. VX. EI. ET. MARC. ALEXANDRO. ET. FL. MARCO. ET
VLP. SABINO. AVREL. FAVSTAE. FIL. EIVS
DESCRIPT. ET. BECOGNIT. EX. TABVLA. AENEA. QVE. FIX. EST. ROMAE
IN: MVRO. POST. TEMPLVM. DIVI. AVG. AD. MINERVAM

Caſtra verò Miſenatium in Colle Eſquilino ſita fuiſſe, veriſimile eſt, non longè a Gallieni Arcu; ſi vera conjectura eſt ex noſtro veſtigio, in quo legimus BASILICA. LICINII, a Licinio Gallieno, quæ corruptè *Sicinii*, *Siſſinii*, & *Sicinini* apud Ammianum, Panvinium, alioſque. Ibi ſtetiſſe Licinianam Baſilicam, ſuadet Capitolinus (31) ſcribens de ipſo Gallieno: *Cum eſſet ad hortos nominis ſui, omnia Palatina officia ſequebantur*. In eâdem ergo Baſilicâ Gallienus judicia exercebat, & juvat Alexandri Donati conjectura, qui in Exquiliis

Alexand. Donat. lib. III. cap. 10.

(31) A. Heic Adnotator noſter addit in margine „ *Atque adeò Trebellius Pollio cap.* 17. „ Sed abſolutè dicere debebat „ *Trebellius Pollio* „ & obliterare *Capitolinum*, quando nunquam Julius Capitolinus de Licinio Gallieno ſcripſit, cum ipſe Imperatorum vitas auſpicetur tantum ab Antonino Pio, eaſque ad Maximum, & Balbinum uſque perducat, qui XIII. annos Gallienum in imperio præceſſerunt. Solus ergo Trebellius Pollio producendus erat, qui Imperatorum geſta a Valeriano Patre, & Filio incohat, atque propterea ad Gallienum deſcendens de eo dicit „ *Quum iret ad hortos nominis ſui, omnia Palatina officia ſequebantur* „ Quæ verba initio quidem non ipſiſſima ſunt, quæ refert Bellorius, qui certè (parcant mihi, quæſo, ipſius Manes) negligentior, quam par erat, in ſtudiis ſuis fuerit, neceſſe eſt, cum & locorum indicationes ommittat, & Auctores commutet, ipſaque etiam Scriptorum loca non ſatis aptè, accuratèque recenſeat.

liis hortos ipſius Imperatoris locat: *Conſtat Gallieno Eſquilinum collem carum ſummoperè fuiſſe; ibique ei poſitum arcum, eumdemque in eodem colle admirabilem coloſſum collocare voluiſſe. Quare ejus hortos inde abducere non poſſum.* Si quis tamen Baſilicam Liciniam ab Imperatore Licinio denominatam malit, non contendimus; cum non longè ad Urſum Pileatum Palatium Licinianum locent. Elapſo anno 1671. in Hortis Cæſiis ad Arcum Gallieni ſtatuæ effoſſæ ſunt raro artificio elaboratæ, e quibus Muſæ quatuor ſedentes, Minerva, Mercurius, Bacchus; aliæque in proximis hortis Marchionis Palumbariæ inter nobiles Urbis ruinas. Ad proximam etiam Eccleſiam Sancti Juliani inſignis eruta fuit pictura, Clementis VIII. Pontificatu, quæ novæ nuptæ, ſeu ſponſæ lavacrum refert, figuris plurimis arte mirâ expreſſis; hodieque in Hortis Aldobrandinis in Quirinali adſervatur.

TEMPLVM. DIvi

Regione VIII. in Deſcriptionibus Rufi, & Victoris, atque in Notitiâ recenſetur *Templum Divorum Penatium*, *Templum Divi Julii*, *Templum Divi Augusti*, *Templum Divi Titi*, *Templum Divi Trajani*. Quodnam verò ex his deſignetur in noſtro veſtigio, ut & cetera ædificia hujus tabulæ, latet (32).

F

(32) A. Impoſſibile quidem eſt revera ſtatuere, cui hoc Templum ſacrum extiterit; ſed quoniam heic Bellorius varia inter probabilia recenſet, ita nos heic aliquorum, quæ ſignata ſunt in nummis, ex iiſdem iconem proferemus, atque inter hæc primas ducet *Templum Divi Julii* ex nummo argenteo Auguſti, qui hoc Templum Julio Cæſari ex S. C. in ſoro extruxit. Tum occurret *Templum Divi Auguſti* ex nummo æreo magni moduli, qui ad Caligulam ſpectat, quippe qui Auguſti proavi ſui memoriam in nummis reſtituit, ipſiuſque Templum a Tiberio inchoatum triumphali habitu, & maximâ pompâ dedicavit. Exornatum hoc videas ſex columnis, atque tribus figuris ſacrificantibus cum Victoriâ, ipſumque verè dicas illud, quod heic a Bellorio innuitur, cum & Vaillantius idem in Regione VIII. recenſeat. Alterum & hujus Templi ectypum tertio loco damus ex magni item moduli æneo nummo Antonini Pii cum hac epigraphe: TEMPLVM. DIVI. AVG. REST., ut propterea heic ſimul prima hujus Templi frons habeatur, nec ſecundæ poſt ipſius reſtitutionem forma deſit. Vaillantius To. II. ex duabus figuris hoc in nummo expreſſis conjicit, ibi deſignari Templum Auguſti, & Romæ, quod in Regione IV. extitiſſe, ſcimus. Verùm nos libentiùs hac in re adhæremus Paulli Pedruſii ſententiæ in *Cæſaribus Farneſiani Muſei* To. VII. pag. 71., qui cenſet, duas illas figuras, quæ in Templi limine adſtant, neminem alium, quam Auguſtum, ipſiuſque Conjugem Liviam deſignare. Nam ſi hoc Templum, quod hoc in nummo exhibetur, Auguſto, & Romæ ſimul ſacrum extitiſſet, non unius Auguſti in epigraphe facta fuiſſet mentio, ſed & ipſum Romæ nomen in ipſam invectum cerneretur. Nec mirum, quod in ſuperiori Caligulæ nummo hoc Auguſti Templum ſex tantùm columnis inſtructum advertas, in hoc verò poſteriori Antonini numiſmate octo columnis inſignius ipſum conſpicias, quibus inſuper elegans epiſtylium variis ſignis excultum innititur; nam nemo eſt, qui neſciat, poſteriora ut plurimùm opera ſuperioribus præſtare dignitate, nitore, & elegantiâ, præſertim cum in ædificiorum reſtitutione novi ſemper aliquid, quin & magnificentioris addere apud omnes, & quovis tempore nimis ſolemne fuerit. Nulla hujus quidem Templi mentio extat apud Capitolinum, & ſi ipſe tot ædificia Romæ ab Antonino extructa, aut reſtituta deſcribat; quare præclara hæc veteris eruditionis parta cognitio tota huic nummo accepta eſt referenda, ut propterea hinc

clarè


clarè eruatur, quantam Hiſtoriæ lucem, & adjumenta adferant nummi, ceteraque veterum monumenta. Deinde ex alio æneo nummo evincitur, hanc Templi reſtitutionem ab Antonino peractam fuiſſe in Tribunicià Poteſtate XXII. anno DCCCCXIII. ab Urbe condità reſpondenti. Tertiò demum produci potuiſſet *Templum Divi Trajani* ex hujus Imperatoris nummo, ſed ipſum opportuniùs exhibebimus ad Tabulam XII., cum de Curià Julià ſermo erit, cui ſcilicet hoc Templum proximum Bellorius ibi deſignat.

AR



DLA-

IV



D L A R I V S
VVS VICTORIA
ETA ES
SEVERI ET
TONINI AVG
N N
NAVALEMFER
RIVI
BAL SVRAE

TABULA. IV.

DLARIVS. Sandalarius

VICVS deſignatur in noſtro veſtigio, unde ſupplemus titulum: *Sandalarius*; quamvis deſit A intermedia litteris D, & L, cum ad ſupplendum ſenſus nullus proprior occurrat. Extabat Vicus Sandalarius Regione IV. Viâ ſacrâ, & frequens erat Librariorum officinis, auctore Gellio: *In Sandalario fortè apud Librarios fuimus, cum ibi in multorum hominum cœtu* &c. (33). Apollinem Sandalarium cognominatum putant ab hoc vico; quod ibi ejus ſtatua poſita fuerit ab Auguſto, referente Svetonio, a Victore, & Rufo deſcripta. Sed non deſpicienda eſt contraria ratio, Vicum ipſum ab Apolline nomen ſumpſiſſe, cum aliquæ Apollinis ſtatuæ Sandaliis calceatæ ſint, ut celebris illa, quæ & hodie conſpicitur in hortis Vaticanis (34). Sic vicus Tragœdus a ſimulacro Jovis Tragœdi dictus. Vici Sandalarii apud Panvinium ſequens Inſciptio:

A. Gell. Noct. Attic. lib. xviij. cap. 4.

Svet. in Aug. cap. 57.
P. Vict.
Sex. Ruf. de reg. Vrb. Rom.

Onuph. Panvin. Reipub. Roman. Comment. lib. I.

GERMANICO . CAESARE
C. FRONTEIO . CAPITONE   COS
SEIAE . FORTVNAE . AVG
SACR
SEX . FONTEIVS . Ɔ. L. TROPHIMVS
GN. POMPEIVS . GN. L. NICEPHORVS
MAG . VICI
SANDALIARI . REG . IIII
ANNI . XVIII . D . D (35)

CLI-

(33) I. Meminit hujus Vici etiam Galenus lib. περὶ τῦ προγινώσκειν πρὸς Ἐπιγένην cap. IV.

(34) I., & A. Secundam hanc opinionem tuetur etiam Urſinius: Pancirollius verò de XIV: *Reg.* opinatur, Apollinem ideò Scandalarium cognominatum fuiſſe, ut inter Apollinem Palatinum diſcrimen fieret.

(35) A. Hujus Inſcriptionis exemplar, quod loco laudato refert Panvinius, poſt ſecundam lineam hæc habet; quæ tertiam aliam lineam conſtituunt, ſcilicet: KAL. IVN, ſed quæ tamen in noſtro exemplari, quod exſcripſit Bellorius, deſiderantur. Adfert & hanc Inſcriptionem Gruterius pag. LXXIX. n. 5., inque ejus etiam exemplari proſtat tertia illa linea, quæ cernitur apud Panvinium. Gruterius verò in quartâ lineâ habet SIEIAE, licet quidam non deſint, qui etiam legant STATAE; ſed favet primæ lectioni Plinius lib. XXXVI. cap. 21. ubi memorat *ædem Fortunæ, quam Sejam appellant*. P. Victor etiam recenſet Templum Fortunæ Sejæ Regione VI. altâ ſemitâ.

CLIVVS . VICTORIAE

Varr. de Re ruſt. lib.I.

SIC dictus ab Æde ipſius Deæ, quæ fuit in Palatino (36). Varro loquens de Portâ Romanâ, ſeu Romanulâ a Romulo deſignata: *Alteram Romanulam, quæ eſt dicta ab Româ, qua habet gradus in Navalia* (37) *ad Volupiæ ſacellum, & Porta Romanula inſtituta eſt a Romulo in infimo Clivo Victoriæ.* Alexander Donatus Clivum ſtatuit ex deſcenſu Palatini in Circum Maximum; Famianus Nardinus in parte alterâ collis Capitolium verſus auctoritate Higinii apud Aſconium in Piſonianâ, qui de Ædibus P. Valerii Publicolæ hæc refert: *P. Val. Voleſi Filio Publicolæ Ædium locum ſub Velis, ubi poſtea fuit Ædes Victoriæ, ex lege, quam ipſe tulit, populum conceſſiſſe* (38). Velia dicebatur pars Collis Palatini alta, & prærupta eminens in Forum, hodie Sancti Theodori Eccleſiæ imminens.

Alex. Donat. lib. III. cap. 14. Fam. Nardin. lib. VI. cap. 14.

SEVERI . ET . ANTONINI . AVG N.N. Severi, & Antonini Auguſtorum noſtrorum.

COLLIGITUR ex hoc titulo, ut diximus in Præfatione, veſtigium, ſeu Ichnographiam iſtam deſcriptam fuiſſe, Severo Principe. Namque epiteta: *Dominorum noſtrorum*, *Cæſarum noſtrorum*, *Auguſtorum noſtrorum*, quæ paſſim in lapidibus, & nummis leguntur, vota, dedicationes, ſeu opera publica, & monumenta viventium Principum indicant. Interim animadvertimus, hoc ædificium; qualecumque fuerit, e regione Palatini locum habuiſſe, in cujus valle à meridie Severus ædificavit Septizonium, nec longè Thermas Antoninus ejus filius (39). NA-

(36) A. Quoniam heic nihil addit adnotator noſter, ne hujus paginæ pars inanis ſuperſit, nos lubenter paucula hæc ſubjungimus, ſcilicet in hac Victoriæ Æde Idæam Matrem receptam fuiſſe, cum xv. belli Punici anno Romana ſuperſtitio portenta quædam expaveſcens Oſtiam uſque adduxit P. Cornelium cum omnibus Matronis ad hanc Deam Peſſinunte advectam excipiendam, quam è nave eductam matronis ipſis perferendam tradidit, inter quas unius Claudiæ Quintiæ inſigne eſt nomen, multiſque dein ritibus, & honoribus proſequutam in hac Victoriæ æde, quæ eſt in Palatio, locavit pridie Idus Aprilis, quemadmodum narrat Livius Decad. III. lib.9. Hæc fortaſſe eſt Ædes Victoriæ, de quâ idem Livius Decad. III. lib. 10. *Poſthumus Conſul Ædem Victoriæ, quam Ædilis Curulis ex mulctatitiâ pecuniâ faciendam curaverat, dedicavit*. Prope hanc altera fuit ædicula Victoriæ, de quâ Livius Decad. IV. lib. 5. *Æediculam Victoriæ Virginis prope Ædem Victoriæ M. Porcius Cato dedicavit biennio poſtquam venit*. Patinius ex quodam nummo Porciæ Gentis, in quo Victoria expreſſa eſt, & ſub eâ extat Epigraphe: VICTRIX, cenſet in poſtremum Livii locum amanuenſium vitio τὸ *Virginis* invectum loco *Victricis*.

(37) A. Scaliger heic legit „*in novâ viâ*„ quæ quidem via multiplex fuit, ut ad Tabulam XVI. adnotatione noſtrâ oſtendemus. Vide etiam proximam adnotationem noſtram (40), in quâ Scaligeri lectionem pluribus tuebimur, licet infelix a Nardinio pronuncietur lib.I. cap.3.

(38) A. Aliter rem narrat Livius Decad. I. lib.2., & Aurelius Victor *de Viris illuſtribus* cap. 5., qui aſſerunt, Publium Valerium Cos., eo quod in ſuſpicionem Regni affectati Populo Romano venerat ob excitatam in Veliâ tutiſſimo loco domum, tamquam inexpugnabilem arcem, queſtum primùm fuiſſe apud populum de ipſius invidiâ, ac ſuſpicione, tum homines immiſiſſe, qui domum ſuam diruerent. Tantùm igitur abeſt, ut Romanus Populus ipſi ædificandi in Veliâ facultatem fecerit. Velia verò fuit nomen alterius Palatii Partis, in quâ, ubi poſtea Deum Penatium ædes facta eſt, habitavit Tullus Hoſtilius Rex, ut ab Onuphrio Panvinio innuitur in *Reipub. Roman. Comment.* lib. I.

(39) A. Hæ Thermæ, quæ Antonianæ ab ejus auctoris nomine dictæ ſunt, *eximiæ* appellantur ab Ælio Spartiano, *quarum cellam ſolearem architecti negant*,

NAVALEM. FER

NAvalis quadrata ſtructura convenit cum Varrone nuper citato de Portâ Romanulâ: *Alteram Romanulam, quæ eſt dicta ab Româ, quæ habet gradus in Navalia* (40) *ad Volupiæ Sacellum, & Porta Romanula inſtituta eſt à Romulo in infimo clivo Victoriæ, qui locus gradibus in quadraturam formatur.* *Varr. de Re Ruſt. lib. I.*

BAL. SVRAE. Balneum, ſeu Balineum Suræ.

DE hoc Aurelius Victor: *Trajanus*, inquit, *ob honorem Suræ, cujus ſtudio imperium arripuerat, lavacrum condidit*. Has Thermas fuiſſe in Aventino, conjicimus ex P. Victore, qui privata Balnea Trajani in Aventino collocat, ubi domus quoque fuit L. Licinii Suræ ter Conſulis, ſemel ſub Nerva, bis ſub Trajano, ut ex Caſſiodoro, & faſtis (41). Hic, teſte Dione, ſuis ſumptibus Gymnaſium *Sex. Aurel Vict. Hiſtor. Auguſt. Epitom.* *Caſſiodor. in Chronic.* *Dion. lib. XLVIII. pag. 777.*

G

gant, poſſe ullâ imitatione, quâ facta eſt, fieri. Nam & ex ære, vel cupro cancelli ſuper impoſiti eſſe dicuntur, quibus cameratio tota concredita eſt, & tantum eſt ſpatium, ut idipſum fieri negent potuiſſe docti Mechanici. De hiſce Thermis loquitur etiam Olympiodorus (in bibliothecâ Photii), atque inſarum magnificentiam ita deſcribit: Ἦσαν δὲ λουτρὰ δημόσια παμμεγέθη. Αἱ δὲ Ἀντωνιαναὶ οὕτω καλούμεναι εἰς χρείαν τῶν λουομένων καθέδρας εἶχον παρακειμένας χιλίας ἑξακοσίας, ἐκ μαρμάρου κατεσκευασμένας ξεστοῦ. Hoc eſt: *Erant lavacra publica ingentia, ſicut Antonianæ Thermæ dictæ, in uſum lavantium ſellas habebant mille ſexcentas è polito marmore factas.* Hæc, & alia Antonini egregia opera alias innuimus in primâ noſtrâ ad Bellorium adnotatione. Nec etiam Severi Septizonium ibi prætermiſimus, atque de eo jam Bellorius ad Tab. II., & Ignotus Adnotator noſter ibidem n.28. Videſis etiam ad Tab. VII. utrumque rurſus diſſerentem.

(40) A. Vereor autem, ne hunc Varronis locum ad rem ſuam Bellorius convertere poſſit, præſertim cum varia lectio ibi occurrat, ut in adnotatione noſtrâ (36) ſuperiùs innuimus. Nec verò locus ille, qui gradibus formatus in quadraturam dicitur, de Navalibus (etſi ita legendum eſſet) ſupra deſignatis intelligi poteſt, cum ea nimis remota ſint, & aliud ſenſu diverſum periodi membrum poſt Navalia ſubſequatur, quod certè cum antecedenti, ubi ipſa memorantur, nil commune habet. Quare potius dicendum, ibi de Victoriæ clivo ea verba pronunciari, ipſumque revera in quadraturam gradibus fuiſſe inſtructum. Huc accedit, quod nemo unquam Navalia in Palatio extitiſſe prodidit, cum apud omnes receptum ſit, ea extitiſſe in Aventino extra Portam Trigeminam. Hinc Solinus de ſecundo Caci ſpeluncæ aditu, ſive atrio loquens: *In crepedine Montis ſupra Navalia, ubi & Ædes Herculis Victoris.* Livius etiam pluribus in locis clariſſimè innuit, emporium, porticus, & cetera, quæ ibi ædificata ſunt, opera deſignans. Sic decad. IV. lib.5. *Ædilitas*, inquit, *inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi, & P. Æmilii Paulli &c. Porticum unam extra Portam Trigeminam Emporio ad Tiberim adjecto, alteram ad Portam Fontinalem ad Martis Aram, quâ in Campos iter eſſet, perduxerunt.* Idem Livius eadem decad. lib. 10. opera M. Fulvii Cenſoris recenſens: *Et Forum*, ait, *& Porticum extra Portam Trigeminam, & aliam poſt Navalia, & ad Fanum Herculis, & poſt Spei ad Tiberim Ædem Apollinis Medici.* Adiri etiam poterit decad.V. lib.5., ubi idem luculenter aſſeritur. Refert Fulvius, ætate ſuâ in ripâ Tiberis ſub Aventino in veteri marmore lectum:

QVICQVID. VSVARIVM. INVEHITVR
ANSARIVM. NON. DEBET

quæ quidem Inſcriptio Emporio perquam accomoda eſt, ubi Naves onera, & merces ſuas exponere ſolent. Fulvius verò, Marlianius, Panvinius, & alii in Regione XIIII. Tranſtiberim navalia fuiſſe cenſent, ſed eorum ſententiam refellit Nardinius lib. VII. cap. 9. Quomodocumque verò hoc ſe habeat, certum tamen eſt, Navalia citra riſum in Palatio ſtatui nequaquam poſſe, propterea quod Collem appellere naves repugnat, nec ipſius crepedines unquam adluiſſe Tiberim, memoratur.

(41) A. Hic L. Licinius Sura Trajani familiaris ille fuit, quo Cos.II. cum Serviano, Hadrianus Prætor factus eſt, ut narrat Ælius Spartianus in ejus vitâ; Eoque Cos. I. cum Senecione ſub Nerva, ipſe Imperator morbo periit in hortis Salluſtianis; tum Cos. III. cum eodem ſub Trajano, & hic etiam Imperator in mari Rubro claſſem inſtituit, ut per eam Indiæ fines vaſtaret, ut diſcimus ex Caſſiodori Chronico. De hoc Martialis lib.VI. epig.64.

Quique videt propiùs magni certamina Circi,
Laudat Aventinæ vicinus Sura Dianæ.

Alii verò fuerunt Suræ, ac primus ille nomine Palfurius, qui pulſus olim fuit Senatu, & tum de oratoribus coronatus, ut refert Svetonius in Domitiano lib. VIII. Tum alius fuit nomine Petronius, qui interemptus fuit a Commodo, ut ex Ælio Lampridio in ejus vitâ cognoſcimus. Tandem & Trebellius Pollio in vitâ Gallieni memorat alium Palfurium Suram, quem

naſium Populo Romano ædificavit. In veſtigio apparent periſtylia quadrata, & oblonga, & ambulationes, aliaque ad Balneum, & ad Palæſtram accomodata.

Ultimum ſine titulo hujus Tabulæ fragmentum referri ad Capitolium, exiſtimat Andreas Bufalinus veriſimili conjecturâ ductus: Habet enim gradus duplices primi, & ſecundi Clivi, atque in ſummâ Arce Templum Jovis Capitolini, adjectumque alterum Templum Jovis Cuſtodis (42); ſed hæc eidem Bufalino, aliiſque antiquitatis ſtudioſis diligentiùs examinanda relinquimus. LA-


---

quem Ephemeridas vitæ hujus Imperatoris concinnaſſe, ſcribit, qui alius fuerit ab illo Palfurio Sura, quem refert Svetonius in Domitiano, neceſſe eſt, cum inter Domitianum, & Gallienum ſpatium annorum CLXXXIX. intercedat, ex quo fit, ut unus, idemque ſub utroque vivere nequiverit.


(42) A. Jovis Capitolini Templum ſignatum habemus in nummis Petiliæ Gentis; nam Templum hoc, quod Tarquinius Superbus Rex vovit, & M. Horatius Valerii Poblicolæ in Conſulatu Collega dedicavit, memoratur a Plutarcho in Poblicola, atque ab aliis. Exaſtylen autem fuiſſe, vel, ut Dionyſii Halicarnaſſæi verbis utar in *Roman. Antiquit.* lib. III., ἐκ μὲν τοῦ κατὰ πρόσωπον μέρους πρὸς μεσημβρίαν βλέποντο, τριπλῷ περιλαμβανόμενος στίχῳ κιόνων, ἐκ δὲ τῶν πλαγίων διπλῷ. h. e. *ex eâ quidem frontis parte ad meridiem reſpiciente triplici comprehenſum* fuiſſe *ordine columnarum, ab obliquis verò partibus duplici*, ex hac Templi icone, quæ in iſto numiſmate expreſſa eſt, colligere poſſumus. In anticâ verò hujus denarii parte caput cernitur Jovis ipſius, qui circumductâ epigraphe CAPITOLINVS panditur, a quo nempe Petilius, vel quod Jovis Capitolini Sacerdos, vel quod Capitolinæ Arci Præfectus fuiſſet, nomen eſt mutuatus.


Alterum Templi Jovis Capitolini exemplum habemus in nummis Vitellii, atque in ejus medio cernitur Statua Jovis habitu ſedentis dextrâ pro ſceptro aſtam, ſiniſtrâ fulmen tenentis, circùm verò hæc Inſcriptio I. O. M. CAPITOLINVS. Vitellius namque in nummis Templum Jovis Capitolini, quod Milites Fratrem Veſpaſiani in Arce obſidentes cremaverant, tamquam a ſe mox reficiendum cudi mandavit, ut Populo Romano fœdiſſimi hujus facinoris ſibi ipſi injurioſam ſuſpicionem eriperet. Non pigebit, opinor, Lectorem noſtrum, duas hujus Templi frontes nos heic exhibuiſſe, quandoquidem cum de antiquitatis monumentis res eſt, nunquam ſupervacaneum, aut innutile eſt diverſorum ſimul temporum formas in promptu habere.


Tertius etiam Templi typus heic ſiſtitur, quod Jovi Cuſtodi ſacrum, neſcio, an expeditè pronunciem. Plures habemus Domitiani nummos, in quibus multiplicium Templorum forma conſpicitur, quæ tamen non ita facile eſt aſſerere, cuinam Numini dicata fuerint, cum nullum vel nomen, vel ſymbolum præſeferant. Vaillantius verò argenteum numiſma refert, quod ab ipſo Jovi Cuſtodi accenſetur, ſed hujus tamen ectypum nullibi cælatum, aut in Antiquariorum adſervatum Cimeliis uſquedum licuit advertere. Quare heic nos æreum nummum medii moduli exhibemus, quod nobis ſuppeditat Farneſianum Muſeum, ſimulque monemus, eruditiſſimum Virum Petrum Pioveneium Tom. IX. ad Tab. I. n. XII. eum accenſere Jovi Capitolino. Verumtamen hoc certò ſcimus, Domitianum Vitellianæ oppugnationis tempore apud Æditaum Jovis Capitolini ſe receptiſſe, atque eâdem extinctâ, ſacellum Jovi Conſervatori ædificaſſe, moxque Imperio potitum magnificam Ædem Jovi Cuſtodi excitaſſe, ut cuſtodiæ illius, atque a Vitellianorum armis defenſæ gratiam, & memoriam teſtatam haberet. Colligitur hoc etiam ex Tacito lib. III. *Hiſtor: Mox imperium adeptus Jovi Cuſtodi templum ingens, ſeque in ſinu Dei ſacravit*. Ita etiam Svetonius in ejus vitâ: *Novam autem excitavit ædem in Capitolio Jovi Cuſtodi*. Certum verò eſt etiam, Domitianum poſtquam tertiâ vice Jovis Capitolini Fanum Titi principatu conflagravit, arreptâ ſibi laudis occaſione, magnificentiùs illud refeciſſe, & è Græciâ multas majoris pretii columnas deduxiſſe, ut eſt apud Plutarchum in vitâ Poblicolæ, quarum qui ſymmetriam eo loci deſcriptam legat, facilè dixerit, has eaſdem eſſe, quæ nunc in Eccleſia Aræ Cæli conſpiciuntur. Ceterùm cujus Templi iconem hic nummus exhibeat, ſit apud eruditos judicium; ac ſi fortè Jovis Capitolini exiſtiment, ne, quæſo, actum me egiſſe criminentur, quandoquidem & tertiam hujus Templi formam duabus ſuperioribus tempore, & arte abſimilem protuliſſe juvabit.



Æ






V
VACH
A
M
FR

TABULA. V.

LAVACR. A. Lavacrum Agrippinæ.



GRIPPINAE Matris Neronis Lavacrum P. Victor, & Antiquarii conſtituunt in Viminali, quà collis deflectit in Vallem Quirinalem è conſpectu Eccleſiæ Sancti Vitalis. Marlianus refert ibi effoſſa duo Bacchi ſimulacra, utraque inſcripta: IN. H. LAVACR. AGRIPPINAE (43). Elapſis annis erui vidimus plumbeos, ac teſtaceos tubos, quibus aqua ducebatur, atque in ejuſdem Vallis hortis fontium Nymphæ truncum tenentis hydriam in ulnis. Lavacri reliquias exhibet noſtrum veſtigium formâ rotundâ: in medio labrum locatum eſt. Ad ipſum verò lavacrum per gradus deſcenſus, ſeu potius aſcenſus, & aditus datur; nam, ut docet Vitruvius de Balneorum diſpoſitionibus, & partibus: *Primùm eligendus eſt locus quam calidiſſimus, Solique expoſitus*. Unde Seneca Scipionis Africani Villam deſcribens: *At nunc blattaria vocant Balnea, ſi qua non ita aptata ſunt, ut totius diei Solem feneſtris ampliſſimis recipiant*. Martialis de Balneo Etruſci:

P. Victor. Reg. v. Bartholomæus Marlian. in Urb. Rom. Topograph. lib. iv. cap. 21.

Vitruvius lib. v. cap. 10.

Senec. epiſt. 86.

Martial. de Etruſci thermis epig. 26. lib. vi.

Nuſquam tam nitidum micat ſerenum
Lux ipſa eſt ibi longior, dieſque
Nullo tardiùs a loco recedit.

Plinius Jun. de Comi deliciis: *Quid Balneum illud, quod plurimus Sol complet, & circuit*? & alibi: Inde infertur, Balneum Agrippinæ, poſitum in Valle Quirinali, gradibus elevatum fuiſſe, aptatumque ad recipiendum Solem. Superiori ejuſdem Collis parte, ubi Templum, & Cœnobium Monialium B. Martyris Laurentii, Thermæ extabant cognomento Olympiadis. Colligitur hinc, mulieres propter honeſtatem balnea, ſeu lavacra diverſa a Virorum balneis habuiſ-

Plin. Jun.

(43) A. Apud Marlianum verò, quem de induſtriâ adire libuit, ſimplicior hæc, nec in omnibus prorſus eadem proſtat epigraphe IN. LAVACRO AGRIPPINAE.

Varr. lib. iij. Analog.

Æl. Lamprid. in Vit. Sever. cap. 24.

habuiſſe. In communibus verò Thermis mulieres, & Viri locis diverſis ſejunctim lavabantur, ut ex Varrone. Elagabalus (44) viros, & mulieres in balneis miſceri permiſit, quam licentiam ſuſtulit Severus Alexander, ut Lampridius ſcribit (45).

Ædificium lavacro proximum in hemicycli formam curvatur; rectam porticum, & ambulationem in fronte habet, reliquam circularem: Piſcina eſſe videtur, locuſque natatu aptus, habetque in poſtico loculos, baſim in medio, ſeu podium, quod oblectamenti cauſsâ in ſtagnum extenditur. Baſes item ſtatuarum in fronte locantur, cum ad Thermarum ornamentum celeberrimorum Artificum ſigna ponere moris fuerit, ut de Lyſippi ſtatuâ ab Agrippâ in ſuis Thermis dicatâ Plinius: *Diſtringentem ſe, quem Marcus Agrippa ante Thermas ſuas dicavit: mirè gratum Tiberio Principi*. Lucianus in deſcriptione Balnei ab Hyppia (46) Architecto ædificato in mediâ domo, in quâ erant piſcinæ, ſtatuas geminas Æſculapii, & Hygiæ, ſeu Sanitatis memorat: Καὶ μέσος οἶκος ὕψειτε ὑψηλότατος, καὶ φωτὶ φαιδρότατος ψυχροῦ ὕδατος ἔχων τρεῖς κολυμβήθρας, λακαίνῃ λίθῳ κεκοσμημένος, καὶ εἰκόνες ἐν αὐτῷ λίθου λευκοῦ τῆς ἀρχαίας ἐργασίας, ἡ μὲν Ὑγείας, ἡ δὲ Ἀσκληπιοῦ. H. E. *At media domus (47), & faſtigio excelſiſſima, & jucundo lumine amœniſſima tres aquæ frigidæ*

Plin. lib. xxxiv. cap. 8.

Lucian. Dialog. Hippias, ſeu Balneum.

(44) A. Adnotator noſter, obelo appoſito, heic in margine emendat *Heliogabalus*: ſed fortè rectiùs ſe geſſerat Bellorius, quam & adnotator, & ceteri, qui hanc ſcriptionem tuentur, quique τὸ *Elagabalus* improbant, aut averſantur. Id enim nominis ſibi vindicavit Imperator Baſſianus, quod ipſe Solis Sacerdos eſſet, hocque Emiſſenorum Idolum in Romanam Civitatem omnium primus invexiſſet. Nominis enim etymon eſt a Chaldaicâ voce הלה *Ela* (*Deus*), quæ eadem eſt ac Hebraica אל *El*, quæque unum eſt ex decem Dei nominibus apud Hebræos, quod apud Græcos ἰσχυρὸς audit, apud Latinos verò *Fortis*. Syri hoc nomen de Solis Numine per antonomaſiam, ac veluti κατ' ἐξοχὴν uſurpabant, quemadmodum Athenienſes θεᾶς nomine ſolam Minervam exprimere conſueverant. Idem dicendum de *Bel* a Chaldæorum בעל *Baal* (*Dominus*), quod apud ipſos peculiaris fuit Dei nomenclatio, ut אדוני *Adonai* apud Phænicios, Mithra apud Perſas, ceteraque apud alias Gentes, quæ ſciens prætereo. Græci ergo ab אלה *Ela* formarunt ἥλιον, atque ita non Elagabalum, ut primæva vocis origo poſtulabat, ſed Heliogabalum appellarunt. Ὁ πάνυ Alexius Symmachus Mazzocchius vir ſanè omnigenâ eruditione præſtantiſſimus in ſuo Spicilegio Biblico part. I. in cap. XI. Geneſεως adnot. n. 6., putat τοῦ ἡλίου etymon manare ab Hebraicâ vooe עליון *Eljon*, Græcè ὕψιστος (*excelſus*), alterum ex decem Dei nominibus apud Hebræos; ſed ego pace tanti Viri dixerim, non facilè id a me probari, quia etymologiarum concinnitas in eo eſt, ut eæ a ſimplicibus thematibus, ſive radicibus repetantur, cum ſcilicet conſentaneum ſit, ut rerum omnium principia a ſimpliciſſimâ origine prodierint. Sed עליון *Eljon*, ut quilibet Hebraicè doctus novit, derivativum, ut vocant, nomen eſt, non thema, aut radix.

(45) I. En verba: *Balnea mixta Romæ exbiberi prohibuit, quod quidem jam ante prohibitum Heliogabalus fieri permiſerat.*

(46) A. Philoſtratus L. I. Vit. Soph. XI. admirandam Hippiæ in artibus, & ſcientiis peritiam prædicat, ibique Olearius, qui ex Platone, & Luciano plura de eodem refert, ſibique induſtriâ ſuâ memoriam comparaſſe prodit, ita ut quinquaginta vocabula ſemel audita eodem ordine recitare potis eſſet, cujus etiam inſigne fuit memoriæ argumentum, ut omnes ferè artes mirè percalluerit, protuleritque in Olympiis annulum, ſigillum, ſtrigilem, vaſculum unguentarium, ſoccos, pallium, inorulam, cingulum propriis manibus confecta. Vide Plat. in *Hippia majore* pag. 97., ipſumque Philoſtratum opificia, ejuſque artes enumerantem loco laudato.

(47) A. Οἶκος malè heic *Domus*, aut *habitatio* vertitur, quandoquidem quot unquam domus, quæſo interpretis fidem, uno tantùm in balneo adſtrui poſſe contendit? Quare nos cum Tiberio Hemſterhuſio vertendum potius opinaremur *cubiculum*, aut *conclave*, aut *œcos*, quam quidem poſtremam vocem in iſtâ ſignificatione propriam Latini Architecti ἑλληνίζοντες ſibi vindicarunt. Œcos etiam habetur apud Plinium, & Vitruvium. Ad hoc videri etiam poterit Iſaacus Caſaubonius ad Theophraſti Characteres cap. περὶ ἀναισχυντίας *de impudentia*, & Moſes Solanius, ac Johannes Maria Geſnerius in ſuis ad Lucianum adnotationibus.

gidæ piſcinas in ſe complectitur lacæno marmore exornata. Sunt etiam in illâ ſtatuæ geminæ ex albo lapide antiqui operis, & artificii; altera quidem Hygiæ, altera verò Æſculapii. Seneca in eadem epiſtolâ: *Quid cum ad Balnea Libertinorum pervenero? Quantum ſtatuarum, quantum columnarum nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum impenſæ cauſsâ.* Porticus, Stagna, Thermæ ſimul recenſentur a Martiale: Senec. ep. 86. Mart. lib. v. epig. 21.

Campus, Porticus, Umbra, Virgo, Thermæ.

Rotundi ambitus veſtigium porticu, columniſque circumductum ædis eſſe, quæ adhuc ſtat inter ripam Tiberis, & Eccleſiam B. Virginis cognomento Coſmedin titulo Sancti Stephani denominatam, exiſtimat Andreas Bufalinus. Hanc marmoreâ ſtructurâ, Corinthiiſque modulis nobilem Pomponius Lætus Matutæ (48) attribuit, & ex eo Marlianus a Donato relati. Pompon. Lætus Rom. Hiſt. Comen. Marlian. lib. iij. cap. 15. Alexand. Donat. lib. ii. cap. 25.

Juxta hanc ædem alterum in noſtrâ tabulâ veſtigium extat, quod idem Bufalinus eſſe autumat proximi Templi Fortunæ

H Viri-

(48) A. Matris Matutæ Templum, & cultum Romæ fuiſſe, patet ex Ovidio *Faſtor. lib.* VI. v. 475., & ex Plutarcho in vitâ Camilli, ejuſque Sacerdotium ad feminas ſpectaſſe, docet Præſul eruditiſſimus Raphael Fabrettius ex quâdam Inſcriptione a Gruterio petitâ pag. LX. n. 7., quamque ipſe denuo ex ſchedis ſuis emendatam recudit *Inſcript.* cap. IV. n. 526.

CERVARIA. SP. F. FORTVNATA
MAGISTRA
MATRI. MATVTAE
D. D
PAVL. TONTIA. M. F. ET
CONSVA
PICATRICES

De Æde hujus Deæ Livius decad. IV. lib. 4. *Ædes eo anno aliquot dedicatæ ſunt; una Junonis Matutæ in Foro Olitorio vota, locataque quadriennio ante a C. Cornelio Cos., Gallico bello: Cenſor Ædem dedicavit.* Scilicet Victor Regione XI. in Circo Maximo collocat Templum Junonis Matutæ, quemadmodum & Rufus Ædem Matutæ eâdem Regione recenſet, in quâ etiam Forum Olitorium extitiſſe, conſtat ex iiſdem Urbis Choriographis. Matuta verò Latinorum (ut de Numine ipſo aliqua attingamus) eſt Leucothea, ſive Ino Græcorum, ex quâ poſtremâ voce paulisper intortâ fortè Juno Matuta prodiit. De hac ita Cicero *Tuſcul.* l. 12. *Quid Ino Cadmi Filia, nonne Leucothea nominata a Græcis, Matuta habetur a noſtris?* Quod ipſa fuerit quidem Filia Cadmi, & Harmoniæ, patet ex ipſo Heſiodo Θεογον. v. 976.

Κάδμῳ δ' Ἁρμονίη, θυγάτηρ Χρυσῆς Ἀφροδίτης,
Ἰνώ, καὶ Σεμέλην, καὶ Ἀγαυὴν Καλλιπάρηον
. . . .
Γείνατο.

H. E

Cadmo præterea Harmonia Filia aureæ Veneris
Ino, & Semelem. & Agaven pulchras genas habentem
. . . .
Peperit.

Vide & Apollodorum Βιβλιοθήκης, ἢ περὶ Θεῶν lib. I. & III., ubi etiam habetur, Athamantem Boeotiæ Regulum, uxore Nephele mortua, Inonem ſibi connubio junxiſſe.

Virilis (49), nunc Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ nuncupati. Porticu in fronte, lateribus, & poſtico undique circumducitur, de quo ædificandi genere Vitruvius de ſacrarum Ædium compoſitione. *Vitruv. lib. iij. cap. 1.* Quamvis autem hoc templum humile, atque ex Albano lapide conſtructum ſit, ob modulorum tamen venuſtatem, & ſymmetriam Jonici generis exemplar, & canon eſt, unde peritiores Architecti Jonicas hauſere rationes.

Sequuntur in hac tabulâ aliorum ædificiorum magnifica veſtigia.

SVBV-


(49) A. Commodè Panvinius Templum Fortunæ Virilis collocat Regione XI. in Circo Maximo, ubi ſanè proſtat hæc Ædes, quam ei Buſalinius, & Bellorius accenſent. Huic Deæ ſacra fiebant Kal. Aprilis; & quare eadem fierent, patet ex Ovidio *Faſtor.* lib. IV. v. 145.:

Diſcite nunc, quare Fortunæ thura Virili
Detis eo, gelidâ qui locus humet aquâ.
Accipit ille locus, poſito velamine, cunctos,
Et vitium nudi corporis omne videt.
Ut tegat hoc, celetque Viros Fortuna Virilis
Præſtat, & hoc parvo thure rogata facit.

Quod autem Panvinius *Statuam Servii Tullii ligneam* in Fortunæ Virilis Templo fuiſſe, dicit, a vero abhorret, quum ea in Templo Fortunæ in Foro Boario extiterit, ut ex Dionyſio liquet lib. IV., & ex Ovidio lib. VI. *Faſtor.* Præter Fortunam Virilem, quam Romani colebant, fuit & Fortuna Muliebris, quæ a Matronis reverebatur, & cujus Templum erat in Viâ Latinâ, IV. ab Urbe lapide, ſed ejus ſignum nefas erat attingere niſi univiræ. Acceſſiſſe Fortunæ epitheton hoc ob liberatam Urbem a Matronis, Coriolani Matre, & Conjuge, nemo eſt, qui ignoret. Videſis, quæ nos de multiplicibus Fortunæ Templis inferiùs dicemus ad Tab. XVI.




Tempio della Dea Veste alla Bocca della verità


VI
BVRA
LIBERTATIS
BASIL
EMILI

TABULA. VI.

SVBVRA.



URAM Alexander Donatus in eâ parte Eſquiliarum ſtatuit, ubi nunc recens Subura. Famianus Nardinus in Regione II. Cælimontanâ inter Cælium, & Eſquilias; Locum indicat ab Eccleſiâ Divi Petri, & Marcellini ad Amphiteatrum, idque rationibus firmat (50) (51). In noſtro veſtigio Atrium apparet columnis ſuffultum, ædis, opinamur, Conſulis Stellæ, de quo Statius, & Martialis: *Alex. Donat. lib. iij. cap. 6.* *Famian. Nardin. lib. iij. cap. 6.* *Martial. lib. xij. epig. 3.*

Vel ſi malueris, primâ gradiere Suburâ
Atria ſunt illic Conſulis alta mei.

Refert

(50) I. & A. Suburam locum fuiſſe frequentem, eruitur ex Juvenal. ſatyr. x. v. 156.

. . . . . . *Et mediâ vexillum pono Suburrâ.*

Dempſterius in additamentis ad Roſinium Antiq. I. 13. expendit, an Subura Regio fuerit, vel potius vicus.

(51) A. Aliquid nos addimus in re tam incertâ, & diverſis Scriptorum opinionibus verè implexâ. Primò advertimus, modò ab aliquibus *Suburam*, modò *Suburram*, quin in quibuſdam etiam Codicibus *Siburam* ſcribi. Favere videtur poſtremæ ſcriptioni marmor quoddam recens effoſſum in proximis Urbi Campis, Græcâque epigraphe ornatum, quod heic producendum cenſuimus, ut φιλαρχαίοις gratum faciamus, quamvis & alibi etiam per nos fortaſſe edetur:

ΕΝΘΑ. ΔΕ. ΚΕΙΤΑΙ
ΝΕΙΚΟΔΗΜΟϹ
Ο·ΡΧΩΝ
ϹΙΒΟΥΡΗϹΙΩΝ ΚΑΙ
ΓΑϹΙ. ΦΕΙΛΗΤΟϹ
ΑΙΤΩΝ Λ ΗΜΕΡ. ΜΒ
ΘΑΡΙΑΒΛΕΒΙΝΕΩΤΕΡΕΟΥ
ΔΕΙϹ. ΑΘΑΝΑΤΟϹ

HEIC. IACET
NICODEMVS
PRINCEPS
SIBVRESIORVM. ET
OMNIBVS. AMABILIS
ANNOS (Natus) XXX. DIES XLII
CONFIDE. INNOCENS. IUVENIS. NE
MO. IMMORTALIS

Ex noſtrâ verſione, quam a latere exaravimus, patebit, quommodo hanc Inſcriptionem legendam cenſeamus, quoniam hujus loci non eſt hæc pluribus perſequi, nec de quacumque voculâ, ipſiuſque ſcriptionis mendis, quæ plura ſunt, rationem reddere, præſertim, cum id facturos nos alibi, citò ſperemus. Illud unum dumtaxat nunc admonemus, facilè ſub illo vocabulo ϹΙΒΟΥΡΗϹΙΩΝ deſignari Siburanos, vel Suburranos populos, quorum hic Nicodemus Dux, vel Princeps extiterit. Atque id eò animoſius aſſerimus, quò & a præſtantiori Viro in hac ſententiâ firmamur. Scilicet Vir Clariſſimus Janus Plancus Ariminenſis penitioris omnis eruditionis Polyhiſtor, noſtrique Præceptor verè benemerentiſſimus litteris ad nos humaniſſimè datis hanc ſententiam pluribus tuetur, ac ſolidè propugnat. Nil autem mirum, quod Nicodemus eorum, qui in hac Tribu cenſebantur, Princeps appelletur; nam principiò Romulus ſingulis tribubus, quas ipſe inſtituit, Tribunos præfecit, & quoniam poſtea unamquamque tribum in decem Curias partitus eſt, eis Curiones præpoſuit, ſicuti & poſtremò Decuriones aſſignavit, cum ſingulas Curias rurſus in decurias diſpertivit. Quare iſtos tribuum Præfectos, quos Romanis Tribunos, Curiones, & Decuriones audiviſſe ſcimus, Græci ἀρχόντας nominarunt. Tribus verò Suburana una erat ex quatuor Urbanis Tribubus, quas Servius Tullius conſtituerat, quæque ita dicebatur, quaſi ſub antiquâ Urbe ſita eſſet, ut Junius apud Varronem lib. IV. de *ling. lat.* pag. 12., & Turnebus ibidem; Suberat enim ei loco, qui murus terreus vocabatur. Varro tamen a Pago Succuſano nomen repetit, ſimulque autumat, pro C litterâ ſuffectam fuiſſe B, & pro S invectam R, ut in pleriſque Romanorum nominibus poſt propagatam apud

Roma-

Sveton. cap.46. Refert Svetonius, Cæſarem habitaſſe primò in Suburâ, ſed modicis ædibus (52).

LIBERTATIS. Atrium Libertatis

BASIL. AEMILI. Baſilica Æmilii Paulli

DE Æde, & Atrio Libertatis in Aventino non ſemel Livius, & ibidem P. Victor utrumque enumerat. Nos de Atrio Libertatis prope Forum Cæſaris, & Paulli Baſilicam intelligimus ex M. Tullii Epiſtolâ ad Atticum, cujus non integro, & obſcuro loco magnam lucem affert noſtrum veſtigium. Hæc Tullius: *Paullus in medio Foro Baſilicam jam penè texuit iiſdem antiquis columnis; illam autem, quam locavit, facit magnificentiſſimam. Quid quæris? Nihil gratius illo monumento, nihil glorioſius. Itaque Cæſaris Amici, me dico, & Oppium, diſrumpatis licet monumentum illud, quod tu tollere laudibus ſolebas, ut forum laxaremus, & uſque ad Atrium Libertatis explicaremus, contempſimus ſexcenties ſextertium, cum privatis non poterat tranſigi minore pecuniâ.* Loquitur Tullius de refectione Baſilicæ, ac de Foro Cæſaris ampliando uſque ad Atrium Libertatis, ſive, ut Lambini ſententia, de Baſilicâ Paulli pertingente ad Atrium Libertatis, quod in Aventino tantùm decernit Famianus Nardinus. Animadvertimus, Paulli Baſilicam ſæpiùs inſtauratam, & refectam præcipuè ſub Auguſto, ac Tiberio, referentibus Tacito, & Dione; quæ ſive laxata, ſive perducta vetus atrium clauſit, retinuitque in ſemetipsâ religioſo titulo, ut ex noſtro veſtigio ſatis, ſuperque probatur. Baſilica Æmilia Inſcriptionis Æneæ fragmento memoratur, quod adſervatur in Bibliothecâ Eminentiſſimi Cardinalis Maximi:

Cic. ad Attic. ep.34. lib.ij.

Famian. Nardin. lib.vij. cap.9.

Tacit. Annal. lib. iij. Dion. lib. XLIX. & LIV.

REG.


Romanos litteram R uſuveniſſe, patet ex quampluribus exemplis. Deinde verò circa antiquum Suburræ locum plures ſunt Scriptorum inter ſe diſſentientium opiniones, atque harum diſcrimen ex eo repetimus, quod Subura ingens, ac longè, latèque productus Vicus extiterit, ut Regionis ferè amplitudinem æmularetur; Ea namque, ut ex P. Victore, Sex. Ruſo, & ex Panvinio diſcimus, extabat in Cælimontio Regione II.; ejus verò caput in Iſide, & Monetâ Regione III; tum contermina erat Foro Tranſitorio, ſive Palladio, quod & Divi Nervæ dicebatur, ad radices Quirinalis Regione IIII., quemadmodum aſſerit Anonymus Auctor Notitiæ utriuſque Imperii. Quapropter hinc factum, ut Scriptores in diverſas iverint ſententias, & quidam Suburram in Cælio, alii verò in Eſquiliis collocaverint, cum ipſa amplitudine ſuâ loca hæc omnia pertingere potuerit, ut proinde de ejus præcipuo ſitu tot excitaverit contentiones, quot ejus confinia deſignantur.


(52) I. En verba: *Habitavit primò in Suburrâ modicis ædibus: poſt autem Pontificatum maximum in ſacrâ viâ domo publicâ.*

REG. XIIII. IN
ENOVARI . ID
TIBICI . IN
OET . PRIMO . SALVTE
CAESETIO . PROBO . C
ETIAM . ADITVM . PAVLI
MVTEM . SIC . ACCIPIAM
SINT . MAGIS (53)


(53) A. Porticus Baſilicæ Paulli Æmilii effigiem habemus in denariis Æmiliæ Gentis, quamquam ea, quæ ibi expreſſa eſt, & quam heic nos ſignandam curavimus, omni antiquâ formâ, qua a Paullo Æmilio donata fuerat, deſtituta jam ſit, novamque exhibeat, quam ei poſtmodum M. Lepidi reſtauratio induxit. Nam ſcimus ex Tacito, Lepidum, qui fuit III. Viri conſanguineus, petiiſſe a Senatu, ut ſibi Paulli Baſilicam reficere liceret, quod ſcilicet mirè conſentit cum denarii noſtri inſcriptione, ex qua M. LEPIDVM ex S. C. Baſilicam eamdem REFeciſſe, cognoſcimus.

Æ





Vaſo cinerario trouato nel cavo di un gran maſso di fabrica antica fuori la Porta Salara.


VII
BALNEVM
CAESARIS
A B

TABULA. VII.

BALNEVM. CAESARIS

BALNEUM Cæſaris Dictatoris, de quo ſanè intelligendus eſt titulus. Sic domus Cæſaris, Horti Cæſaris, Forum Cæſaris, Ludus Cæſaris, Navalia Cæſaris; quæ cuncta Cæſaris Dictatoris ſunt. Balnei, ſeu lavacri forma in noſtro veſtigio deſcribitur, ovali circuitione quatuor hemicyclis, ſeu hemiſpheriis prominentibus. Hemiſpheria in laconicis ſudationibus deſcribit Vitruvius: *Laconicum, ſudationeſque ſunt* *Vitruv. lib.v. cap.10.* *conjungendæ tepidario, eæque, quam latæ fuerint, tantam altitudinem habeant ad imam curvaturam hemiſpherii, mediumque lumen in hemiſpherio relinquatur.*

Supra Cæſaris balneum è regione tria ex ordine numerantur privata ædificia, ſive privatæ domus. Singulis patet introitus, quâ longâ, & rectâ dirigitur viâ. In antico cubicula ſunt; ſequitur cavædium, ſive cohortile ſubdiale primum, inde aliæ ſuccedunt interiores cellæ, indeque cavædium interius, & ſecundum, quod periſtylium eſt cum quadratâ porticu, ut ex Vitruvio, ex more Græcorum: *Apud Græcos in ædificiis periſtylia duo erant diſpoſita,* *Vitruv. lib.vi. cap.10.* *primum, & ſecundum; hoc interius, & peramplum;* quod & domus interior dicitur a Virgilio in Priami Regiâ, eademque pene- *Virgil. Æn. lib.vij. v.59.* trale in alterâ Regiâ Latini:

Lucus (54) *erat tecti medio in penetralibus altis.*

Nam, ut idem Vitruvius, aperti, hypæthrique loci viridibus orna- *Vitruv. lib.v. cap.9.* bantur: *Media verò ſpatia, quæ erunt ſub dio inter porticum, adornanda viridibus videntur.* Interiora verò loca, & triclinia non licebat adire niſi familiaribus, & vocatis.

Alte-

(54) A. Malè heic *Lucus* habetur; nam *Laurus* habent omnia exemplaria; idque firmat verſus, qui ſequitur:

Sacra comam, multaſque metu ſervata per annos:


qui certè verſus minime τῷ *Lucus* aptari poteſt, ut quilibet latinè doctus advertit.

Alterum ſuperius veſtigium Balneo imminens ſubſtructione triplici murorum , & columnatione duplici in fronte , ac lateribus ; Septizonii alterius veſtigium eſſe videtur a Severiano diverſum , quod ſupra oſtendimus Tabulâ II. Præter Severianum ipſum aliud Septizonium memoratur in Eſquiliis , eidemque proxima domus natalis Titi, auctore Svetonio: *Natus eſt* [Titus Veſpaſianus] III. *Kal. Januarii inſigni anno Cajanâ nece prope Septizonium*. Antiquarii locant ad Thermas Titianas (55).


Sveton. in Veſp. lib. viij.

SV-

(55) I Septizonium nomen eſt magni Ædificii, quod ſeptem cingulis ambiebatur a græco verbo ζώνη *cingulum*. Utrumque Septizonium memoratur a Victore. x. Regione *Septizonium Severi*. xii. *Septizonium vetus*. Libri habent x. Regione *Septizonium vetus*, *alias Severi*; ſed Librariorum incuriâ, teſte Pitiſco in Sveton. *in Veſpaſ.* cap.1.



Veduta di Campo Vaccino


VIII
SV
IMICH
RECOST
ARM
RIA
ILONIS

TABULA. VIII.

SVMICH. Summi Choragii

SUMMUM Choragium in deſcriptione Rufi Regione III. Samium pro ſummo corruptè apud Victorem; in Notitiâ præſtantiſſimum choragium. Noſtro veſtigio conſentit inſcriptio apud Panvinium a Pancirollo indicata: *Panciroll. in Notit. Onuph. Panvin. Reipub. Roman. Comm. lib. 1.*

HERCVLI. ET. SILVANO. EX. VOTO
TROPHIMIANVS
AVG. LIB
PROC. SVMMI. CHORAGI
CVM. CHIA. CONIVGE

Choragium locus erat, in quo Tragœdiarum, & Comœdiarum chori exercebantur, & ex eo cuncta ad ludos ſcenicos neceſſaria promebantur, ac propriè ad theatrum pertinebant, quamvis transferatur ad alios etiam ludicros apparatus, ut de templo Veneris, & Romæ intelligit Famianus Nardinus ex Dione. Hadriano reſcripſerat Apollodorus (56) Architectus de ſtructurâ hujus templi: Μετέωρον αὐτὸν, καὶ ὑπεκκεκενωμένον γενέσθαι ἐχρῆν. ἵν᾽ ἔς τε τὴν ἱερὰν ὁδὸν ἐκφανέστερος (57) ἐξ ὑψηλοτέρου εἴη. H. E. *Sublime illud, & concavum fieri oportere, ut ex loco ſuperiori in ſacram uſque viam inſignior proſpectus* *Dion. lib. LXIX. pag. 789.*

K

(56) A. Exuli Apollodoro ſæpius ſcripſit Hadrianus, & operum ſuorum rationem cum eo communicavit: Neque enim tantùm Veneris, & Romæ Templorum deſcriptionem ad eum miſit, ſed etiam per litteras eum de Poliorceticis conſuluit, quod tempore exilii factum eſſe, ex Poliorceticorum præfatione eruitur. Si verò Veneris, & Romæ Templa anno V. C. DCCCLXXXVIII., ſeu extremis Hadriani temporibus extructa ſunt, ut habet Caſſiodorus in Chronico, jam Apollodori cædes exilium ſecuta ad eas erit referenda, quæ ab Hadriano morti proximo patratæ ſunt.

(57) A. Ἐκφανέστερον vulgò, ut & Bellorius inferiùs. Nos vero cum Hermanno Samuele Reimario ἐκφανέστερος exaravimus; quandoquidem ſi neutro genere ſcriptum ſit, referendum erit ad τὸ κατασκεύασμα, quod antecedit, & longius æquo diſtat; alioqui propinquior ναὸς maſculinum genus expoſtulat, nec citra mendum tollerari neutrum poteſt.

ſpectus eſſet, *& magis conſpicuus*. Adnotamus illud ἐκφανέςερον ſublimius, & ex loco ſuperiori, unde fortaſſis choragium ſummum, & ſublime.

R E C O S T. Græcoſtaſis.

PAncirollus *Græcoſtaſis locus eſt*, *ubi Græcorum*, *aliarumque Nationum legati ſubſiſtebant a Senatu audiendi*. *A Græcis nomen ſumpſit*, *& ſi alii quoque ibi morarentur*. Varro *ſub dexterâ*, inquit, *hujus a comitio locus ſubſtructus*, *ubi nationum ſiſterent legati*, *qui ad Senatum eſſent miſſi: is Græcoſtaſis appellatur a parte*, *ut multâ*. Dicitur Græcoſtaſis, ideſt Græcorum ſtatio. Hoc ædificium pertinebat ad Regionem VIII. Fori Romani, de cujus germano ſitu conſule Nardinum ex Plinio. In noſtro fragmento deſcribitur nobilis ædificii veſtigium, gradibus ſublimis cum porticu, ſeu pronao (58).

A R M P I A. Armamentaria.

SUpra Tabulâ III. oſtendimus, Armamentaria duo: alterum in Eſquiliis, alterum in Regione Cælimontanâ Caſtris proximum, & plura in Urbe fuiſſe Armamentaria, diſcimus ex Herodiano de Gallicano: Πόλει τάςτε γὰρ δημοσίας ἀποθήκας τῶν ὅπλων, εἵτινες ἦσαν πρὸς πομπὴν μᾶλλον; ἢ μάχην ἐπιτήδειοι, ἀναῤῥῆξαι τοὺς ὄχλȣς ἔπεισε. H. E. *Juſſit effringi publicis armamentariis*, *in quibus pompæ magis inſtrumenta*, *quam belli aſſervabantur*.

Herodian. lib. vij. cap. 11.

I L O N I S. Cilonis, vel Silonis Domus.

DE Cilonis, aut Chilonis domo infra Tabulâ X., ſi verò reſtituere libet Silonis, videndus eſt Seneca in Suaſoriis, & Controverſiis, in quibus plures hujus cognominis celebres declamatores recenſentur ſub Auguſto, ipſiuſque Senecæ ætate. Nos hoc fragmentum pertinere exiſtimamus ad Fabium Cilonem, qui ſub Severo plurimum gratiâ, & auctoritate valuit, ejuſque merita deſcribuntur in baſi ſtatuæ in ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Maximi:

L. Annæus Senec. Suaſor. & Controv.

L. FA-

(58) A. Græcoſtaſim habuiſſe gradus, non tantùm patet ex veſtigio noſtro, verùm etiam conſtat ex Ciceronis epiſtolâ ad Q. Fratrem, ubi inquit: *Deinde eius operæ repentè a Græcoſtaſi*, *& gradibus clamorem ſatis magnum ſuſtulerunt*.

L. FABIO. M. F. GAL. CILONI. SEPTI
MINO. C. ATINIO. ACILIANO. LE
PIDO. FVLGINIANO. COS
COMITI. IMP. L. SEPTIMI. SEVERI. PII
PERTINACIS. AVG. ARAB. ADIAB. P. P
SODAL. HADRIANAL. CVR. MIN. LEG
AVG. PR. PR. PROVINC. PANN. ET. MOE
SIAE. SVP. BITHIN. ET. PONT. DVCI. VE
XIL. PER. ITALIAM. EXERCITVS. IMP
SEVERI. PII. PERTINACIS. AVG. ET. M
AVRELI. ANTONINI. AVG. PRAEPO
SITO. VEXILIATION. PERINTHI. PER
GENTIB. LEG. AVG. PR. PR. PROV. GA
LAT. PRAE. AER. MILITAR. PROCOS. PROV
NARBON. LEG. AVG. LEG. XVI. F. F. PR. VRB
LEG. PR. PR. PROV. NARB. TRIB. PL. QVAEST
PROV. CRET. CYR. TRIB. MIL. LEG. XI. CL.
X. VIR. STLIT. IVDIC. CVR. R. P. NICO
MEDENSIVM. INTERAMNA
TIVM. NARTIVM. ITEM. GRAVI
SCANORVM
TI. CL. AMBRELIANVS 7. LEG. V (59)
MACEDONICAE. OB. MERITA

*Lucio Fabio Marci filio Galeriâ Ciloni Septi-
mino Cajo Atinio Aciliano Le-
pido Fulginiano Conſuli
Comiti Imperatoris Lucii Septimii Severi Pii
Pertinacis Auguſti Arabici, Adiabenici Patris Patriæ
Sodali Hadrianali Curatori Miniciæ Legato
Auguſti Pro-prætori Provinciæ Pannoniæ, & Moë-
ſiæ ſuperioris Bithyniæ, & Ponti Duci Ve-
xilli per Italiam exercitus Imperatoris
Severi Pii Pertinacis, Auguſti, & Marci
Aurelii Antonini Auguſti Præpo*


ſitò

(59) A. Refertur hæc Inſcriptio a Gruterio pag. CCCCVII. n. 2. atque in Gruteriano exemplari, quod Auguſtinenſi Bibliothecæ in Urbe dono dedit V. Cl. Lucas Holſtenius extat ipſius charactere emendatum AMBRELIANVS in AMBRATIANVS.

ſito Vexillationibus Perinthi per-
gentibus Legato Auguſti Pro-prætori Provinciæ Ga-
latiæ Præfecto Ærarii militaris Pro-conſuli Provinciæ *fecto Urbis*
Narbonenſis Legato Auguſti Legionis decimæ ſextæ Flaviæ Fidelis Præ-
Legato Pro-prætori Provinciæ Narbonenſis Tribuno Plebis Quæſtori
Provinciæ Cretæ Cyrenes Tribuno Militum Legionis undecimæ Claudiæ
Decemviro ſtlitibus judicandis Curatori Reipublicæ Nico-
medenſium , Interamna-
tium , Nartium , item Gra-
ſcanorum
Tiberius Claudius Ambrelianus Centurio Legionis quintæ
Macedonicæ ob merita



Mole d'Adriano oggi Castel S. Angelo, col Sepolcro di Caio Cestio


IX
RDIA
TM
LINEVM
LVS
VS
MT
PATRICIVS
MON
H REA
C ANDELARI
HORTIP AR FA M

TABULA. IX.

ORDIA. Concordia



Gnoſcit Bufalinus in hoc veſtigio Templum Concordiæ in Clivo Capitolino imminens foro, cujus templi ſtat adhuc porticus octo columnis conſpicua cum titulo : SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS INCENDIO. CONSVMPTVM. REST (60)

BALINEVM. AMPELID. Balineum Ampelidis.

IN Regione XIV. Tranſtiberinâ a Victore deſcribitur Balineum Ampelidis (61). Famianus Nardinus ad Portam Septimianam locat Blondi auctoritate, qui labra, ſeu receptacula duo ſcatentis aquæ ibi ſe vidiſſe, teſtatur. Præter clariores Cæſarum Thermas, ut advertit Donatus, plurimas privatorum Civium, certum eſt extitiſſe, & plurimas alias ad quæſtum paratas, quæ populum quotidiè lavantem excipiebant. Etenim P. Victor, ut etiam adnotavit Philander, ſupra octingentas agnoſcit. Plinius: *Adiicit ipſe* [nempe Agrippa] *in Ædilitatis ſuæ commemoratione, & ludos unde ſexaginta*

Famian. Nardin. lib. i. cap. 9.

Alexand. Donat. lib. iij. cap. 19.

Plin. lib. xxxvi cap. 15.

L

(60) A. Plures Romæ exiterunt antiquitus Ædes Concordiæ; inprimis enim quædam memoratur a Svetonio lib. II. in vit. Tiberii Cæſar., quam idem Imperator dedicavit. Tum Livius decad. I. lib. 9. teſtatur, Macrum Licinium Ædem Concordiæ in areâ Vulcani ſummâ invidiâ Nobilium dedicaſſe; idemque decad. III. lib. 3. memoriæ prodit, M., & C. Attilios II. Viros creatos Concordiæ Ædem dedicaſſe, quam L. Manlius Pr. voverat. Deinde & ab Ælio Lampridio *in vit. Alex. Severi* diſcimus, Senatum frequentem convenire conſueviſſe in Ædem Concordiæ, tamquam inauguratum templum, quæ pro Curiâ habebatur, quæque eadem erit, ac illa, quæ a Sex. Rufo, & a P. Victore cenſetur Regione VIII. in Foro Romano, atque a Camillo dedicata prædicatur, eoque loci ſita olim erat, quo nunc Ædis Virginis de Conſolatione conſpicitur. Templum aliud Concordiæ erat in porticu Liviæ, quod a Sex. Rufo, a P. Victore, & a Panvinio collocatur In Viâ Sacrâ Regione IIII., licet antea & a Sex. Rufo, & a P. Victore aliud Concordiæ Templum ſtatuatur in Iſide, & Monetâ Regione III., quodque a ſecundo ſub titulo Concordiæ Virilis refertur, & idem ſimul in Porticu Liviæ enunciatur. Magnâ tamen probabilitate inter tot Concordiæ Delubra heic in noſtro veſtigio illud deſignari, quod in Clivo Capitolino eſt, Bufalinius, & Bellorius exiſtimant.

(61) A. Quis Ampelidis nomine deſignetur, difficile eſt explicatu. Si in marmore legi potuiſſet *Ampelii*, tunc dici potuiſſet, fortaſſe fuiſſe illum ipſum, qui ſub Valentiniano, & Valente Urbi præfuit, ut habetur in leg. 2. *de offic. Præf. Urb.*, & in Ammiano Marcellino *Rer. Geſtar.* lib. XXVIII. Verùm obſtat P. Victor, qui habet Ampelidis, ut omittam, Valentiniani tempora nimis remota eſſe a Severi ætate, quâ vetus hoc Romæ veſtigium confectum Bellorius oſtendit.

ginta diebus factos , & gratuita præbuit balnea CLXX. , *quæ nunc Romæ ad infinitum auxere numerum* (62) (63). Unde in veterum ædificiorum effoſſionibus Thermarum , & Balineorum rudera frequenter inveniuntur .

PATRICIVS. Vicus Patricius.

INter Eſquilias , & Viminalem , ubi nunc Ædes Sancti Laurentii in Fonte , Divæ Pudentianæ , & ima pars Hortorum Perettinorum , Vicum Patricium extitiſſe , conſentiunt Antiquarii (64) (65). Feſtus: *Patricius Vicus Romæ dictus eo , quod ibi Patricii habitaverunt , jubente Servio Tullio , ut ſi quid novi molirentur adverſus ipſum , è locis ſuperioribus opprimerentur* (66) .

Feſt. lib.xiv.

MON. Monumentum Comitis Herculis, ſeu Monumenta Mariana.

VIA Salariâ Comitis Herculis extitiſſe monumentum , indicat Svetonius de Veſpaſiano : *Quin & conante quodam originem Flavii generis ad conditores Reatinos , comitemque Herculis , cujus monumentum extat Viâ Salariâ , referre irriſit ultro* . Marianorum Monu-

Sveton. lib. viij. in Vit. Veſpaſian.

(62) A. Antea legebatur Plinii locus decurtatior, & paullò aliter hoc modo „ *Agrippa gratuita præbita balnea* CLXX , *quæ nunc Romæ ad infinitum numerum crevere* „ quem poſtea Adnotator noſter , additis iis , quæ præeunt , ampliavit, atque ſecundum Harduinianam editionem emendavit , quemadmodum nos ſic ampliatum , & emendatum in textu produximus , licet nos poſtea ad tramites Auguſtinenſis noſtri exemplaris , quod in Præfatione innuimus , *præbuit* ſubſtituerimus loco *præbita* , quod rectiùs ſe habere nobis viſum eſt .

(63) I. Dio Caſſius lib.49. de Agrippæ muneribus in ædilitate : Τὰ δὲ βαλανεῖα προῖκα δι' ἔτους , καὶ τοῖς ἀνδράσι , καὶ ταῖς γυναιξὶ λοῦσθαι παρέσχε : H. E. *Et toto anno Balneorum lavacra tam Viris , quam Mulieribus gratuitò præbuit* .

(64) I. Vicum Patricium in Eſquiliis fuiſſe , Feſtus teſtatur lib.17. verbo *Septimontio* , non loco deſcripto a Bellorio : *Similiter Ciſpius a Lævo Ciſpio Anagnino , qui ejuſdem rei cauſſâ eam partem Eſquiliarum , quæ jacet ad Vicum Patricium verſus , in quâ regione eſt Ædis Mephitis , tuitus eſt* .

(65) A. Ex hac ſuperiori adnotatione quilibet ſanæ mentis conjiciat , an adnotationes hæ marginales Bellorii ipſius eſſe poſſint , quemadmodum , qui ſic cenſuerint , non defuerunt , ut in Præfatione innuimus . Qui enim Bellorius potuiſſet de ſe ipſo ita loqui, etiamſi eum erroris , quem non patravit , pœnituiſſet, vel palinodiam hoc loci canere ſecundis veluti curis conſtituiſſet ? Quilibet certè videt , ipſi aliam phraſim ſine dubio adhibendam fuiſſe , quæ eſſet ſibi ipſi accommodatior , non quæ eum tamquam a ſe ipſo diverſum, aut ſui ipſius Cenſorem efficeret · Verumtamen non magni momenti eſt adnotatoris noſtri diverſi ſanè hominis a Bellorio noſtro in Bellorium ipſum animadverſio , cum nibil certè Bellorii ſententia Feſti auctoritati repugnet , utpote qui nunquam ab Eſquiliis vicum Patricium deturbavit , ubi eum Feſtus reverâ collocat , ſed tantùm in Eſquiliarum , & Viminalis finibus ſtatuit , in quo convenit etiam cum Panvinio , qui ait *Reipub. Roman. commen.* lib. 1., Eſquilinum Collem *ab Aquilone Viam habere , quæ a falsâ Suburrâ diſcedens deducitur per vallem planam ſub Templo Sancti Laurentii in Pane , & Pernâ uſque ad Vicum Patricium, Divæque Pudentianæ Ædem* ; quemadmodum & Viminalem Collem aſſerit *a meridie* habere *Eſquilias , viamque interpoſitam , quæ a falsâ Suburrâ initium habet , tenditque verſus Vicum Patricium , & ſecundùm Thermas Diocletiani ad Caſtrum Prætorium* . Cui hæc ad trutinam revocare libuerit innoteſcet , Bellorium noſtrum minimè erraſſe , dum Vicum Patricium inter Eſquilias , & Viminalem recenſet , quin potius non ſatis æquè in eum agere adnotatorem noſtrum , dum Feſti verba mordicus tuendo notam Bellorio ſtudet appingere .

(66) A. Heic Adnotator noſter emendatius , & plenius refert Feſti teſtimonium , quam in prioribus editionibus hujus Libri legeretur , ut quilibet vetera cum novis conferendo dignoſcere poterit. Hæc etiam, licet levia , libet adnotare , ne quid alienæ diligentiæ nobis accenſere veluti tacitè videamur .

Monumentorum meminit Vitruvius de Ædium proſpectu Peripteros : *Quemadmodum eſt in Porticu Metelli Jovis Statoris Hermodi, & ad Mariana Honoris , & Virtutis , ſine poſtico a Mutio facta* (67) . Noſtrum veſtigium cum areâ deſcribit Valerius : *In areâ Marianorum Monumentorum* : De loco non conſtat . Probare nititur Famianus Nardinus, Mariana Monumenta eſſe trophæa C. Marii de Cimbris , hodiè in Capitolio : at illa bina trophæa Marii non ſunt , ſed Trajani Auguſti (68) . Extabant in Caſtello aquæ Martiæ in Eſquiliis ab eodem Trajano reſtitutæ , eademque referunt Germanorum , Dacorum , & Sarmatarum arma , de quibus Germanico , & Dacico bello Trajanus triumphavit . Eorum elegantiſſima ſculptura coæva Columnæ Trajanæ ſatis ipſius Imperatoris ætatem indicat , ut in noſtris notis ad eamdem Columnam nuper editam etiam auctoritate veterum numiſmatum probatum eſt . Alexander Donatus jure negat , illa eſſe Mariana Monumenta : *Equidem ut ibi fuiſſe Trophæa Marii , nullo modo dicerem , ita fuiſſe Caſtellum aquæ , tutè affirmarem. Nam , ut conſtat ex Frontino , Aqua tam Claudia , quam Martia poſt hortos Pallantianos , qui fuerunt in Eſquiliis , effundebantur* : Et paullò poſt : *Ab illo videlicet , qui extruxit , aut inſtauravit trophæis ornatum*. Poſt Trajanum Aquæductus Aquæ Martiæ inſtauratos ab Alexandro Severo , argumento eſt ejuſdem Imperatoris nummus , qui idem Caſtellum expreſsè refert cum tribus arcubus , ac trophæis . Antiquarii Alexandrinis thermis adſcribunt .

Vitruv. lib. iij. cap. I.

Valer. lib. ij. cap. 5.

Alex. Donat. lib. iij. cap. 10.

HORREA. CANDELARIA.

DE Horreis ſupra Tabulâ primâ (69) .

HOR-

(67) A. Hic etiam Vitruvii locus nonnullis , quæ deerant , verbis auctus acceptus referri debet Adnotatori noſtro .

(68) A. Trajani Trophæa habemus in duobus hujus Imperatoris æneis nummis ſecundæ formæ , quæ ad duas ab ipſo relactas Victorias Dacicam unam , Parthicam alteram referuntur , ideoque & ipſe Imperator in horum nummorum epigraphe *Dacicus* , & *Parthicus* ſalutatur .

(69) A. Horrea hæc , quæ Candelaria in veſtigio noſtro inſcribuntur , a nemine , quem ſciam , memorantur . Forſitan in eis Candelæ adſervabantur , quemadmodum in Chartariis Charta reponebatur . Candelæ verò fiebant ex funiculis pice delibutis , vel cerâ circumductis . Poſtea etiam ex Papyro confictæ ſunt , quæ inde cerâ ambiebantur ; ut videre eſt ex Servio Æneid. I. 731. Fiebant etiam ex Scirpis , ut patet ex Plinio lib. xvii. cap. 37. Ex cerâ fictæ in primis ad rem divinam Flaminibus , & Potentioribus in ædibus ſerviebant . Ex ſebo vulgares , & ſebaceæ dicebantur , ut cernere licet apud Apulejum *Metamorph.* iv. p.122.

HORTI. P. Horti Pallantiani, vel Plautiani.

Alexand. Donat. lib. iij. cap. 23.

HOrti Pallantiani a Pallante illo ditiſſimo Claudii Liberto: Hos ad Portam Næviam, nunc Majorem (70) collocat Donatus. De ipſis Frontinus: *Finiuntur ductus Arcus Claudiæ, & Anienis poſt Hortos Pallantianos, unde in uſum Urbis fiſtulis deducuntur*. P. Victor Regione V. Eſquilinâ Plancianos, vel Plautianos nominat, mutantes, ut inquit Donatus, ſubinde cum Dominis nomen. Plautianus enim multum gratiâ, & opibus valuit ſub Severo (71).

AREAM. Area Mercurii.

Ovid. lib. v. Faſtor. Famian. Nardin. lib. iij. cap. 2.

NON longè a Portâ Capenâ, ubi nunc Sancti Cæſarii Templum, fuit Aqua Mercurii, quam hauriebant Mercatores (72), ut abluerent perjuria, juxta Ovidii deſcriptionem in Faſtis. Nardinus prope aquam ipſam collocat ejuſdem Dei aream, & aram enumeratam a Rufo Regione primâ Portæ Capenæ: *Area Mercurii cum Arâ, ad quam ſacrificant Mercatores*. Aræ ipſius veſtigium quadratum apparet in noſtro fragmento.

SEPT.

---


(70) A. Panvinius *Reipub. Roman. Commen.* lib. 1. de hac Portâ ait: *Hanc* (Portam Næviam) *omnes ſuperioris ætatis Antiquarii ineptè nimiùm Majorem nunc eſſe, dixerunt*. Quare miror, cur Bellorius, qui Panvinium, dum hæc exarabat, in manibus habebat, ut multis in locis patet, male cum ceteris de grege Antiquariis de Næviâ Portâ hoc loco ſcripſerit.

(71) A. Hic Plautianus erat ἐπάρχων τῶν στρατοπέδων *Præfectus Cohortibus Urbanis*, ut ait Herodianus *lib.* III. *cap.* 10., quo in loco etiam ipſius hiſtoriam pluribus refert, quæque ab erudito Lectore (ſi vacat) ad pleniorem iſtius notionem adiri etiam poterit. Hic fuit etiam παιδαγωγὸς *Cuſtos*, & *Informator* Antonini, & Getæ Filiorum Severi Imperatoris, qui eo liberati in omnem effuſi ſunt malitiam, & mutuas contentiones, ut idem Herodianus lib. laudato *cap.* 13., & Dion *lib.* LXXVI. *pag.* 1277. Iſte namque cum imperium affectaret inſidiis, Antonini juſſu capite obtruncatus fuit, ipſiuſque cadaver in publicum projectum, ut idem Herodianus innuit eodem Libro *cap.* 11., & 12. Præter hunc Plautianum, alius & Plautianus extitit, qui fuit Conſul cum Gallieno, atque ſub eorum Conſulatu Tiberius Imperator in Campaniâ occubuit. Plautianus etiam fuit Conſul cum Geta tempore Severi, qui & idem erit, de quo Bellorius & nos ſuperiùs, qui & Legatus, & Præfectus ſub eodem Severo extiterat.

(72) A. Scilicet Mercurius colebatur tamquam Mercaturæ Præfectus, & Lucri Deus, proptereaque & Marſupium ipſius ſtatuis appenditur. & lucra, & theſauri inopinatò reperti ἕρμαια, καὶ ἑρμαῖα dicta ſunt; ut patet ex Philoſtrato *in Soph.* 3., & ex Luciano Dialog. *Ap.*, *& vulc.* Hinc & apud Reineſium Claſſ. 1. n.80. extat Inſcriptio:

MERCVRIO
NVNDINATO
RI

Apud Ariſtophanem verò in Pluto, & Acharn. legitur Ἑρμῆς ἐμπολαῖος; Item appellatur κερδῷος, & Κερδέμπορος. & ἀγοραῖος. Nauſicles Mercator Ægyptius Ἑρμῇ ἀγοραίῳ, καὶ ἐμπορικῷ ſacrificat apud Heliodor. L. v. *Æthiop.* cap. 4.


X
SAPT
IA
H
HORTI CELONIAE FABIA
LIA

TABULA. X.

SEPT. IA. Septa Trigaria



A Rufo, & a Victore Septa Trigaria in Regione IX. cenſentur (73). Septorum locus erat, in quo aut exercebantur, aut venales exponebantur equi, ut ex Plinio intelligitur in fine Naturalis Hiſtoriæ, dum inter Italiæ bona equos vernaculos laudat nullis aliarum Regionum poſthabendos: *Neque equos quidem in Trigariis præferii ullos vernaculis animadverto*. Poſſet hinc aliquis elicere equorum præſtantiam a Trigarum curulibus certaminibus: Nam Trigaria a Trigariis Agitatoribus videntur denominata; ac ſæpe in areâ Septorum ludi ab Auguſtis dati ſunt. De Septis infra in hac tabulâ.

Plin. lib. xxxvij. cap. ult.

HORTI. CELONIAE. FABIAE

REgione XII. a P. Victore deſcribitur Domus Chilonis. Nardinus putat Magii Chilonis, qui M. Marcellum Athenis confodit, ut ex Valerio Maximo, & Sulpicio apud Ciceronem. Pancirollus in Notitiâ: *Domum Chilonis legendum eſt Cilonis* (74). Fabius Cilo is eſt, qui, imperante Severo, bis Urbi præfuit, ut Dion, Spartianus, & Vulpianus (75) tradunt, cujus & nos vetus elogium, & inſcriptionem retulimus Tabula VIII. Cognomen vero Fabii convenit cum titulo noſtri veſtigii: Celoniæ Fabiæ; Celonia nempe a nomine, ſeu agnomine Cilonis Patris; Fabiæ a cognomine gentilitio (76). Itaque Fabium Cilonem ſpecioſam domum in Urbe ædificaſſe, & Celoniam Fabiam hortos ſuos exacultos habuiſſe, comperimus.

Famian. Nardin. lib. vij. cap. 6.

Valer. Max. lib. ix. cap. 11.
Sulpic. ad Cic. ep. 12. lib. iv.
Panciról. in not.
Dion l. LXXVII. pag. 872.
Spartian. in Vit. Caracal.

M

(73) A. Antiquorum ſeptorum formam videmus in argenteis nummis Gentis Liciniæ, & Muſſidiæ, quemadmodum & Trigarum ſchema videre eſt in Gentis Næviæ denariis; ſed cum omnia hæc non eadem ſint, quæ heic Bellorius deſignat, idcirco typorum cælaturam conſultò omiſimus.

(74) A. In argenteis nummis Gentis Flaminiæ utroque modo cognomen hoc ſcriptum advertimus.

(75) I. Atque adeò Lampridius in Vit. Commodi cap. 20.

(76) A. Heic accuratius deſideres a Bellorio noſtro loquendi genus, in quo certè peccaſſe noluiſſem antiquitatis ſtudioſum. Nam malè ipſe primùm *Cilonis* vocabulum aut nomen, aut agnomen vocat, cum ſine dubio *Cilo* familiæ cognomen ſit, dicique debuiſſet. Deinde cum *Fabius* nomen ſit pariter Gentis, malè & ipſum cognomen appellat, ſicque Bellorius noſter proprias verborum notiones, & veteres loquendi formulas temerè pervertit.

rimus. Ceterùm Cilonis, aut Celonis I littera in E mutata non eſt novum in antiquis Inſcriptionibus.

L I A. Septa Julia.

UTrumque fragmentum Septorum faciem oſtendit, quorum pilæ æqualibus intervallis ſimul invicem undequaque reſpondent, ac ſeptem porticus rectâ tendentes componunt. Andreas Bufalinus hujus ædificii reliquias agnoſcit ad viam latam in ſubſtructionibus Ædium Aldobrandinarum; etenim ſuper totidem pilis ex Tiburtino lapide ædes ipſæ conſtructæ ſunt è fundamentis caput eruentibus, quibus Arcus impoſitos fuiſſe, apparet. Porticus, ſive ambitus primus viæ latæ conterminus patet latitudine palmis XXVI., & ceteris amplior eſt, quæ major latitudo etiam in noſtro veſtigio perſpicua eſt. Porticus ipſas rectâ proceſſiſſe a Macello, ut vocant, Corvorum ad Forum Antonini tum ex reliquiis, quæ adhuc ſuperſunt, tum ex aliis effoſſis in molitione veſtibuli, & frontis Eccleſiæ Sanctæ Mariæ in Viâ Latâ, proximarumque Ædium conſtat. Septa locus erat, quo conveniebat populus ad ferenda ſuffragia in Comitiis. Locum ipſum prius ligneis cancellis Septum voluit Cæſar marmoreis extruere. Lepidus (77) ædificavit; M. Agrippa abſolvit, & (78) exornavit, idemque ab Auguſto Septa Julia cognominavit, ut ex Cicerone epiſt. ad Atticum, atque ex Dione. Non adverſantur Septa ipſa in Regione Campi Martii, & Citorio proxima, quod Ædes Aldobrandinæ pertingant ad Viam Latam; nam Agrippa tum vetera Septa perfecit, tum nova perduxit, ut benè advertit Nardinus. Marcus Agrippa pluſquam regiâ, hoc eſt Romanâ magnificentiâ planiciem univerſam Martio adjectam inſignibus operibus, & monumentis exornavit; Pantheon fecit, Thermas, Hortos, Porticum, Diribitorium, Fontem Aquæ Virginis duxit, Septa vetera inſtauravit, ornavitque, & in planicie Campo Martio proximâ alterum Campum, & altera Septa continuavit (79). Agrippinorum

Cic. ep. ad Att. 16. lib. iv.
Dion lib. LIII. pag. 717.
Famian. Nardin. lib. 6. cap. 6.

(77) I. Undequaque Porticibus circumductis.
(78) I. Tabulis lapideis, & picturis..
(79) A. Præter Apprippam ſepta inſtauravit etiam Hadrianus Imperator, ut diſcimus ex Ælio Spatiano in ejus vitâ. Et quoniam heic inanis pagina Typothetarum arte oppleri non potuit, idcircò & ad rimas explendas, & ad Operis ornatum adſtruendum ad hæc potiſſimùm ſubjicienda impellimur, quibus alioquin lubenter peperciſſemus. Septa olim dicta etiam ſunt ovilia; hinc Lucanus *de Bell. Pharſal.*

.... *Et miſeræ maculavit ovilia Romæ.*

Meminit horum Septorum Dionyſius Halicarnaſs. *Roman. Antiq.* lib. x, & Plutarchus in Vitâ Marii, in quâ ſcribit; Marium ambitus ſuſpicionem in Præturæ petitione injeciſſe, quod familiaris ſui ſervus qui-

norum Septorum locum Nardinus deſignat inter Collegium Romanum, & Capitolium, ubi & nos recognoſcimus noſtrum veſtigium in Aldobrandinis Ædibus. Opinamur tamen, Septa Julia ab Agrippinis non fuiſſe diverſa, ſemel tantùm a Lampridio Septa Agrippæ cognominata, quia M. Agrippa ædificavit; ſic Lampridius in vitâ Alexandri: *Baſilicam Alexandrinam inſtituerat inter Campum Martium, & Septa Agrippiana*. In Septis conſueviſſe vendi pretioſas merces, colligitur ex Martiale: Locus enim erat accommodatus ad eaſdem exponendas, quia tutus, & concluſus in populi frequentiâ:

Æl. Lamprid. in Vit. Alex. Sever. cap.26.

Martial. epigr. 60. lib. IX.

In Septis Mamurra diu, multumque vagatus
Hic ubi Roma ſuas aurea vexat opes.


In Areâ verò Septorum ampliſſima ſpectacula non raró ab Auguſtis data tradit Svetonius in Caligula, Claudio, & Nerone (80).

Subſequens fragmentum cum longis periſtyliis tribus adſcribimus ſpecioſis, ac penè admirandis ædificiis, quæ ſteterunt ad Campum Agrippæ: Ea fuere Porticus Vipſana, Porticus Polæ ejuſdem Agrippæ Sororis, Porticus Europæ, Porticus Argonautarum, quarum ſitus in incerto ſunt.


MVTA-

quidam viſus inter cancellos fuiſſet, dum populus ſuffragium dicebat, propterea quod ceteris præter Suffragatores, & Comitiorum miniſtros in ſepta aditus intercludebatur. En verba Plutarchi: Μάλιστα δὲ ὑποψίαν παρέσχε Κασσίου Σαβάκωνος οἰκέτης ὀφθεὶς ἐντὸς τῶν δρυφεράκτων, ἀναμεμιγμένος τοῖς φέρουσι τὰς ψήφους. Ὁ γὰρ Σαβάκων ἦν ἑταῖρος ἐν τοῖς μάλιστα Μαρίου. H.E. *Suſpicionem autem dedit potiſſimum Caſſii Sabaconis ſervus intra cancellos conſpectus inter eos, qui ſuffragium ferebant: quippe erat in primis neceſſarius Sabaco Marii*. Ea verò, quæ in Comitio extabant, memorat Cicero in *Orat. pro Sext.*, dum ait: *Venit in templum Caſtoris, obnuntiavit Conſuli, cum ſubitò manus illa Clodiana in cæde Civium ſæpe jam victrix exclamat, incitatur, invadit. Inermem, atque imparatum tribunum alii gladiis adoriuntur, alii fragmentis* Septorum, *& fuſtibus*. De his locutus eſt etiam Servius, cum inquit: *Septa in Campo Martio incluſa tabulatis, in quibus ſtans populus ſuffragium ferret*. In Septis verò Pontes etiam multi extiterunt, idque conſtat ex quadam Ciceronis ad Atticum epiſtolâ lib. I. *Operæ Claudianæ pontes occupabant, tabellæ miniſtrabantur*. Et ex lib. I. *ad Heren: Cæpio, ut illum contra* S.C., *intercedentibus collegis, adverſus Rempublicam vidit ferre, cum bonis viris impetum facit. pontes diſturbat, ciſtas dejicit*. Per iſtos verò Pontes ſuffragium Comitiis ferebatur, quos in ingreſſu Concellorum quorumdam inſtitutos fuiſſe concipiamus, neceſſe eſt. Verùm unde ſuffragatores venirent, & quo per illos Pontes abſcenderent, innuit Nicolaus Grucchius in libro *de Comitiis Romanor*, quem Lectorem adire præſtabit, quam ea, quæ ipſe docet, heic nos pluribus perſequi.

(80) A. Dicere etiam poterat in Octaviano Auguſto, quoniam Svetonius lib. II. prædicans Auguſti in ſpectaculis edendis aſſiduitatem, varietatem, & magnificentiam aſſerit, ipſum ludos feciſſe ſæpe etiam in Septis.



Vase cinerario trouato in una stanza Sepolcrale fuori la Porta di San Lorenzo


MVTATORIVM
DONAEA
V I
AREA RADICARIA
LVDVS MAGNVS
MACELLVM

TABULA. XI.

MVTATORIVM.

IN deſcriptione Rufi, & Victoris Regione primâ Portæ Capenæ legitur Mutatorium Cæſaris. Placet opinio Franciſci Albertini de Mirabilibus novæ, & veteris Urbis: *Erant & Mutatoria, ut Mutatorium Cæſaris, quæ erant privatæ domus Magnorum ad ſeceſſum, & delitias variis picturis, & marmoribus exornatæ.* Athenæus de Perſarum deliciis Reges Perſarum, & Parthorum pro anni tempore ædes mutaſſe refert: Διαβόητοι δὲ ἐπὶ τρυφῇ ἐγένοντο πρῶτοι πάντων ἀνθρώπων Πέρσαι. Ὧν ϗ οἱ βασιλεῖς ἐχείμαζον μὲν ἐν Σούσοις, ἐθέριζον δ' ἐν Ἐκβατάνοις. Κληθῆναι δὲ τὰ Σοῦσα φησὶν Ἀριστόβουλος, ϗ Χάρης, διὰ τὴν ὡραιότητα τοῦ τόπου. Σοῦσον γὰρ εἶναι τῇ Ἑλλήνων φωνῇ τὸ κρίνον. Ἐν Περσεπόλει δὲ διατρίβουσι φθινόπωρον, ϗ ἐν Βαβυλῶνι τὸ λειπὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ μέρος. Καὶ οἱ Πάρθων δὲ βασιλεῖς ἐαρίζουσι μὲν ἐν Ῥαγοῖς, χειμάζουσι δὲ ἐν Βαβυλῶνι .... τὸ λοιπὸν τοῦ ἐνιαυτοῦ. H. E: *Celeberrimi omnium Virorum ob ſuas delicias Perſæ primi fuere, quoniam in Suſis Reges hyemabant, æſtateque degebant in Ecbatanis. Suſa ob loci amœnitatem vocata fuiſſe, ſcriptum reliquit Ariſtobolus, ut etiam Chares: Eſt autem Suſum græcâ voce Lilium. Verſantur per Autumnum in Perſepoli, & reliquam totius anni partem in Babyloniâ. Parthorum etiam Reges ver traducunt Rhagis, hybernant Babylone.... alibi, quod ex anno ſupereſt* (81). Romani Imperatores ultra Palatinas ædes habuere privatas domos, ac Thermas, quas pro anni tempore mutabant, ut de Thermis hyemalibus Aureliani ſcribit Vopiſcus: *Thermas Tranſtiberinâ Regione Aurelianus facere paravit hyemales, quod aquæ frigidi aeris copia*

Franciſc. Albert. de Mirabil. nov. & veter. Urb.

Athenæus Deipnoſoph. lib. xij. cap. 2. pag. 513.

Fl. Vopiſc. in Vit. Aurelian. cap. 46.

(81) A. Ut Adnotatoris noſtri veſtigiis inhæreamus, quemadmodum in Præfatione recepimus, quem quandoque conſueviſſe, deprehendimus Græcorum Scriptorum loca autographa producere, ubi tantùm latinitate donata referri a Bellorio, contigerat, locum hunc etiam ex Athenæo petitum Helladi reſtituimus, ſimulque eum pleniorem præbemus, quam antea eſſet, ut quæ Bellorius de Parthorum deliciis quoad ædium mutationem Athenæi auctoritate firmanda ſtatuerat, ſarta, tectaque habeamus; nam ipſe ea tantum, quæ ad Perſas pertinent, exſcripſerat omittens, quæ ad Parthos, ut quilibet vetera exemplaria petens cognoſcere poterit.

copia illic deeſſet (82) (83). Noſtri etiam Principes cubicula, & Ædes mutant; ut Quirinale Palatium dici Mutatorium Pontificum poſſit, cum ipſi e Vaticano diſcedentes in Quirinali per æſtatem commorarentur: Nunc ob Cæli ſalubritatem firma ſtatio, & facilis Aulicis, & Urbanis hominibus, qui Tiberim relinquentes colles, & proximam collibus planiciem incolunt. Pancirollus: *Mutatorium Cæſaris pro ædificio accipitur, fortè pro domo publicâ, quam Cæſar Pontifex Maximus habitavit. Tranquillus: Habitavit primò* [inquit] *in Suburrâ modicis ædibus, poſt autem Pontificatum Maximum in ſacrâ Viâ domo publicâ. Mutatorium poteſt appellari, quod eam Cæſar mutaverit*. Nardinus Circum eſſe decernit, qui Caracallæ dicitur, e Regione ejuſdem Capenæ Mutatorium appellatum, quod in ipſo celebrarentur ludi alibi celebrari ſueti. Noſtrum veſtigium locum quadratum deſignat cum porticibus, nullamque Circi faciem refert.

Famian. Nardin. lib. III. cap. 3.

DONEA. Adonea, ſive Adonidis Aula.

ÆDES Palatinæ auguſtâ magnificentiâ, & amœniſſimâ varietate nobiles plurima ædificia continebant; templa, porticus, aulas, thermas, cœnationes, bibliothecas, viridaria, aliaſque peregrinas delicias, quas inter Adonidis hortos ex more Aſſyriorum floribus refertos ipſi Adonidi in florem commutato ſacros. Auctor eſt Philoſtratus in vitâ Apollonii de Domitiano loquens: Ἐπεὶ δὲ σχολὴ τῷ βασιλεῖ ἐγένετο, τὰ ἐν ποσὶ διωσαμένῳ πάντα, ἐς λόγους ἀφικέσθαι τῷ ἀνδρὶ, περιῆγον μὲν αὐτὸν ἐν τὰ βασίλεια οἱ ἐπιμεννητὰ τῶν πούτων . . . . . Θαλλοῦ δὲ ςέφανον ἔχων ὁ βασιλεὺς, ἄρτι μὲν τῇ Ἀθηνᾷ τεθυκὼς, ἐτύγχανεν ἐν αὐλῇ Ἀδώνιδος. Ἡ δὲ αὐλὴ, ἀνθέων ἐτεθήλει κήποις, οὓς Ἀδώνιδι Ἀσσύριοι ποιοῦνται ὑπὲρ ὀργίων, ὁμωροφίους αὐτοὺς φυτεύοντες. H. E. *Poſtquam Regi alloquendi Apollonio ocium fuit, ii, quibus mandatum fuerat, in Regiam ipſum introduxerunt . . . . . Fortè autem Rex cum Palladi nuper ſacrificaſſet, viridi ramo coronatus in Adonidis aulâ conſtiterat. Erat autem Aula illa hortulis undique circumdata, & floribus abundabat, quos Aſſyrii in honorem Adonidis myſteriorum cauſâ domi plantant*. In noſtro

Philoſtrat. in Vit. Apollon. lib. vii. cap. 14.

(82) I. Scaliger legit: *quod aquæ frigidiariis illic eſſet*. Gruterus hanc emendationem certam dicit, ſed Salmaſius reſpuit.

(83) A. Codex, quo nunc nos utimur, Aureliæ Allobrogum typis Petri *de la Roviere* habet *frigidioris*, quæ certè lectio duarum ſuperiorum, ni fallimur, probabilior eſt, & accuratior.

noſtro veſtigio inſpicimus multiplices porticus, & ambulationes mirâ columnarum ſtructurâ diſpoſitas, & in medio Aula Adonidis undique exornata hemicyclis elegantiſſimè, hortuliſque, & areis oblongis ab utroque latere ſepta. An hæc illa Pellicum Dieta, gynæceum, & domicilium feminarum cum porticu? de quâ Plutarchus in Poplicola: Ὁ μέντοι θαυμάσας τοῦ Καπιτωλίου τὴν πολυτέλειαν, εἰ μίαν εἶδεν ἐν οἰκίᾳ Δομετιανοῦ στοὰν, ἢ βασιλικὴν, ἢ βαλανεῖον, ἢ παλλακίδων δίαιταν. H. E. *Qui* [inquit] *Capitolii magnificentiam admiratur, ſi unam videat in Domitiani domo Porticum, vel Baſilicam, vel Balneum, vel Pellicum Dietam.* *Plutarch. in Poplicola.*

At cum ſpatiemur in Adonidis Hortis, de ipſius floris nomine vulgatum Ovidii carmen in fine lib. X. Metamorphoſeon reſtituendi ſuæ antiquæ, ac genuinæ lectioni ex Codice manuſcripto Bibliothecæ Vaticanæ nobis ſe ſe offert occaſio. Deſcribit Poeta interempti ab Apro Adonidis cruorem in florem purpurei coloris converſum: *Ovid. Metamorph lib. x. verſib. 735., & ſeqq.*

. . . . . cum flos de ſanguine concolor ortus;
Qualem, quæ lento celant ſub cortice granum
Punica ferre ſolent, brevis eſt tamen uſus in illo;
Namque malè hærentem, & nimiâ levitate caducum
Excutiunt iidem, qui perflant omnia, venti.

Qui perflant omnia venti? Alius ſenſus eſt, ac pulcherrimum ſanè ænigma, quo Poeta Anemonis floris nomen tacitè deſcribit; qui flos cum nimiâ ſuâ levitate caducus ſit, & a ventorum flatibus facilè excutiatur; ideò dixit Poeta, & nos legimus in antiquo Codice:

Excutiunt iidem, qui præſtant nomina, venti.

Nam ἀνεμώνη Anemone flos eſt Adoneus, & ἄνεμος ventus. Et ſic venti, qui malè hærentem ſuâ levitate florem excutiunt, iidem præſtant, ac dant nomen flori Anemoni.

AREA. RADICARIA. VI

AREA Radicaria Regione XII. Piſcinâ publicâ deſcribitur, in quâ, ut exponit Pancirollus, radices vendebantur. VI. Vicus fortè Piſcinæ dictus, vel alius vicus ex plurimis ejuſdem Regionis. *Pancirol. in Notit.*

LVDVS . MAGNVS .

TArquinius Priſcus Quintus Romanorum Rex, devictis Latinis, Ludos magnos celebravit in Circo, qui poſtea dictus eſt Maximus: *Solemnes deinde annui manſere ludi Romani, magnique variè appellati*. Virgilius:

Livius Decad. I. lib. I.
Virgil. Æneid. Lib. VIII. v. 640.

Magnis Circenſibus actis.

Alius tamen a Circo Maximo Ludus magnus, & diverſis Regionibus ponendus. Ædificium ovale eſt quadratâ porticu concluſum, cui & viæ, & manſiones in quadraturam formatæ pariter hærent. Hujus ludi ichnographiam præbet Fulvius Urſinus ex hoc eodem veſtigio ſuâ ætate reperto in libro, cui titulus eſt: *Imagines, & Elogia Virorum illuſtrium*, ejuſque verba ad explicationem deſcribimus. *Ludi verò matutini, & Ludi Magni [quorum Medici in lapidibus nominantur Eutychus Neronis libertus, & Calpurnius Hilarus] mentionem faciunt P. Victor, & Sex. Rufus in Reg.* II. & III. *Opinorque, gladiatorios fuiſſe ludos, in quibus ſe gladiatores ſolerent exercere: cujuſmodi is, qui Æmilius dicebatur, ab Horatio deſcribitur in Arte Poeticâ. Svetonius in Cæſare: Et formam, quâ ludum gladiatorium erat ædificaturus*, &c. *Ludi autem magni ichnographiam in vetuſtæ Romæ nuper repertis reliquiis ita notatum animadvertimus*. Ludi gladiatorii privati erant ludi, & ſcholæ: hic magnus, & fortè publicus (84).

Fulv. Urſin. Imagin, & Elog. Viror. illuſtr.

MA-

(84) A. Non malè hæc quidem Bellorius de gladiatoriis Ludis pronunciat; nam hi principiò domi privatim exercebantur. Verumtamen mox creſcente numero, & crebritate editionum, aperti ſunt gladiatoribus publici quidam Ludi, in quibus ars pugnandi vulgò exercebatur. Hinc Prudentius:

Nam quid veſani ſibi vult ars impia ludi?
Quid mortes Juvenum, quid ſanguine paſta voluptas?

Seneca lib. II. de Irâ: *Non alia, quam in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viventium, pugnantiumque.* Luſorium appellaſſe, Lampridius videtur in vitâ Elagabali: *Stravit ſibi*, inquit, *triclinium in ſummo Luſorio, & dum pranderet, noxios*, (ita appellat gladiatores) *& venationes ſibi exhibuit*. Græcè Καταγώγιον μονομάχων appellat Herodianus lib. I. cap. 15. de Commodo loquens: Εἰς τοσοῦτον προεχώρησε μανίας, ὡς μηκέτι βούλεσθαι βασίλειον ἑστίαν οἰκεῖν, ἀλλὰ γὰρ μετοικισθῆναι ἐβούλετο μονομάχων καταγώγιον. H. E. *Eoque veſaniæ provectus eſt, ut dẽſereret principalem aulam, atque in ludum gladiatorium migrare inſtitueret*. Non ergo ſemper privati fuerunt Gladiatorii ludi, ut ait Bellorius, ſed etiam ſolemnès, & publici extiterunt. Diverſi tamen erant Ludi Magni a gladiatoriis, nam nullus Laniſta, aut Secutor, aut Retiarius, aut quilibet alius ex Gladiatorum grege in Magnis Ludis unquam adſtitit, ſed in iis tantùm, ut ait Onuphrius Panvinius *de Ludis Circenſibus* lib. I. cap. 21., certamen Equeſtre, & Curule, exercebatur, cui ludicros aliquot ludos addidit Tarquinius Priſcus, ut eos ſpecioſiores, quam ſub prioribus Regibus exhiberentur, redderet. Currus etiam in bigas, trigas, & quadrigas ab equorum numero vocatos primus diſtribuit. Curſus equos in ſingulares, & deſultorios diviſit, addiditque Græcorum more poſt curſum certamen Gymnicum, ſive athleticum, eorum ſcilicet, qui corporibus certabant, in tria athletarum genera diſtinctum, Curſores, Pugiles, & Luctatores, ut Dionyſius Halicarnaſſ. in fine lib. VII. prodit. Quare apparet, diverſa prorſus ſpectacula in Magnis Ludis, ſive Conſualibus, quam in Gladiatoriis fuiſſe exhibita, ut propterea malè opinatus fuerit Urſinius,

M A C E L L V M

Livianum ne , an magnum ? Pro incomperto eſt . P. Victor Macellum Magnum in Eſquiliis Regione V. Livianum Regione II. Cælii Montis conſtituit . Structura quadrata eſt in longum directa cum porticu , & officinis . Macelli ſcenographiam aſpicimus in Nummo Neronis : Porticum habet rectum , in medio tholum rotundum . In Macello olera , carnes , ceteraque obſonia vendebantur , ut præter Varronem , & Plutarchum Plautus in Aulularià :

P.Victor. de Reg. Urb. Rom.

Plaut. in Aulul. act.2. ſc.8. v.3.

Venio ad Macellum , rogito piſces , indicant
Caros ; agninam caram , caram bubulam ,
Vitulinam , cetum , porcinam , cara omnia .

In nummo legitur MAC. AVG. Macellum Auguſti : Nec aſſentiendum illis eſt , qui litteram C in G. commutant , tituloque corrupto , ædificium Macelli ad Auream Neronis domum referunt , ac ſi diceret : *Magna Auguſti Domus* (85) .

O

ſinius , cujus verba heic recitat Bellorius , dum unum cum alio miſcet , atque hæc nomina , quæ diverſiſſima ſunt , de utroque prædicari indiſcriminatim , exiſtimat . Hi verò Ludi , quod annui Romæ permanſerunt , Romani , ab expenſarum verò magnitudine , vel quod Diis Magnis fierent , Magni ſunt vocati . Peculiares primitus hujuſmodi Ludi habuere arenas , ſed cum ibi non ſine magno incommodo Populi Romani edi ipſi potuerint , propterea quod ſub tabernaculis ligneis aridis arundinibus fultis , ut tradit Dionyſius , ſpectatores adſtare cogerentur , L. Tarquinius Priſcus Rex publicæ commoditatis ergo Circo , qui poſtea Maximus vocatus eſt , primus locum in Valle Murcià inter Aventinum , & Palatinum Colles deſignavit , perfecitque , & ludos omnes in eum deinceps transferendos , edendoſque curavit . Inde factum eſt , ut ludi , qui antea Romani , & Magni dicebantur , tum & alii cuncti a Romulo , & ceteris Regibus ordinati , ut Conſuales , Equiria , Martiales , Robigales , & ejuſmodi a ſpecioſiore hoc loco ipſis deſignato omnes Circenſium nomen ſibi vindicaverint .

(85) A. Inter nobiliores Neronis , atque utiliores Urbi ſtructuras fuit Macellum Auguſti , cujus picturam nobis exhibent conſpiciendam duo artificioſiſſima Neronis (ut ſunt ejus Imperatoris pleraque) & nobiliſſima numiſmata . Ambo heic nos ſignanda curavimus , propterea quod in eorum primo cernatur laudata ſuperiùs a Bellorio epigraphe MAC. AVG. , id eſt *Macellum Auguſti* , quæ diversâ lectione ab Antiquariis traducta eſt , ut ipſe innuit , & nos inferiùs oſtendemus ; tum quod in ſecundo hæc extenſior , & plenior exhibeatur Inſcriptio : MACELLVS . AVG. , quæ rem omnem conficit , & cerebroſas Antiquariorum argutationes peſſumdit . Adverto heic primùm τò *Macellus* in maſculino genere uſurpatum fuiſſe in optimis etiam latinitatis temporibus , ut de pluribus aliis vocibus huic ſimilibus factum in ſuo antiquarum Inſcriptionum Syntagmate advertit Reineſius Claſſ. VIII. n. 56. , licet tamen hallucinatus fuerit , dum vocem *Macellus* inter rudiorum ſeculorum idiotiſmos , & ſolœciſmos amandavit , quam nunc nos propterea Latii jure poſtliminio donamus non tantùm Neroniani hujus nummi auctoritati innixi , ſed & Martialis exemplo firmati , qui lib.X. epigr.96. habet :

Hic pretioſa fames , conturbatorque Macellus ,

Licet alii legendum velint *conturbatrixque Macelli*. Quare hinc patet non rectè illos ſentire , qui , ut Bellorius innuit , ſigla illa MAC. AVG. interpretantur *Magna Auguſti* domus ; quemadmodum etiam toto Cælo errat Johannes Harduinius , qui ita legendum contendit : *Mauſoleum Cæſaris Auguſti* , cujus lectionem etiam tuetur Aloyſius Jobertius (fortè ut ſui Ordinis Collegæ palpum faciat) in ejus Appendice ad Librum de Scientià Numiſmatum ſect.II. n.4. , ubi ſummatim ipſius argumenta recenſet . Verùm ipſorum levitatem apertè exerit , eaque ſtrenuè , ſolidèque refellit Alexander Pompejus Bertius in ejus additamentis , ſive mavis , animadverſionibus non ſolùm ad Jobertii Librum primò editum , ſed etiam ad ipſius Appendicem §. IV. Ipſis etiam adverſatur Paullus Pedruſius , quamquam & de eorum grege , Tomo VIII. Tab.XIX. n.IV. , & V. Et re quidem verâ legendum eſt *Macellus* , vel *Macellum Auguſti* , quandoquidem ſcimus ex Dione lib.LXI.pag.698. , Neronem inter cetera ædificia , quæ

vel


vel conſtruxit, vel dedicavit, quæque refert Svetonius in ejus vitâ cap.12., 16., & 31., obſoniorum mercatum præcipuè dedicaſſe. En verba Dionis: Καὶ τὴν ἀγορὰν τῶν ὄψων τὸ Μάκελλον ὠνομασμένον καθιέρωσεν. H.E. *Obſoniorum Mercatum Macellum nuncupatum dedicavit*. Neſcio quapropter, quomodo lubido inceſſerit Harduinium *Mauſoleum Cæſaris Auguſti* ibidem legendi, cum nullum punctum inter MA, & C. intercedat, ſed ſimul copulatæ tres illæ litteræ inſigniter conſpiciantur. Huc accedit, quod ædificium hiſce in nummis expreſſum nil commune habet cum Mauſoleo Auguſti, ut quilibet accuratam ipſius Mauſolei deſcriptionem ex Strabonis Geographiâ lib. v. petitam, & a nobis græco textu donatam apud Bellorium inferiùs ad Tab. xx. exibendam conferens cum ſequentibus Macelli ſchematibus, quæ ex Neronianis nummis excerpſimus, cognoſcere facilè poterit.



Æ



THEA-


THEATRV
ES
SYN
OSTYLVM
ANVS
VLIA
THEATRVM
IARCELLI

TABULA. XII.

THEATRVM

TRIA in Urbe celebrantur Theatra: Ea fuere Pompeii, Marcelli, Balbi. Theatri Pompeii integrum veſtigium habemus infra Tabulâ XV. Marcelli fragmentum in fine hujus tabulæ. Conſequitur inde, ut hoc primum fragmentum ad Balbi Theatrum referatur. L. Cornelius Balbus Vir triumphalis hortatu Auguſti theatrum ſtruxit, cujus ſedes incerta eſt. Tito Principe, conflagraſſe Theatrum Balbi, & ſcenam Pompeii, auctor eſt Dion: Πολλὰ πάνυ τῆς Ῥώμης...... τὸν τοῦ Βάλβου θέατρον, καὶ τὴν τοῦ Πομπηΐου σκηνὴν κατέκαυσεν. H. E *Multa Romæ conflagraverunt..... Theatrum Balbi, & ſcena Pompeii*. Titus inſtauravit. Externa theatri curvatura, & hemicyclus columnis nobili ſtructurâ fulciebatur, atque elegans, & perampla fuit univerſa moles, cujus pulpitum, & ſcena per lineas rectas indicantur in hoc fragmento, quæ infra concinnè in integro Pompejani theatri veſtigio deſcribuntur. *Dion lib. LXVI. pag. 756.*

TOSTYLVM. Hecatonſtylum.

HEcatonſtylon Ἑκατόνςυλον, hoc eſt Porticus centum columnarum. Hæc fuit magna, & celebris illa Pompeii Porticus Hecatonſtylon dicta ad ipſius Pompeii theatrum. Euſebius in Chronico: Πομπηΐου θέατρον ἐνεπρήσθη, καὶ ἑκατόνςυλον. *Theatrum Pompeii incenſum, & Hecatonſtylon* (86). Centenario numero cum Poetæ, tum *Euſeb. in Chronic. num. 226.*

(86) A. Hanc Pompejani Theatri, & Hecatonſtyli conflagrationem, quam heic ex Euſebio recitat Bellorius, idem Chronographus refert numero MMCCLXI., cujus numeri epocha, ut quilibet eruditus novit, ab Abrahamo ducitur. Eamdem verò cladem Theatrum iſtud expertum eſt numero MMXXXVII. Apud Cornelium Tacitum *Annal.* lib. III. Tiberius Pompeii Theatrum igne fortuito conſumptum ſe extructurum pollicetur, D. Haterio Agrippa, & C. Sulpitio Galba Coss., numero MMXXXIII. Seneca conſolatione ad Marciam cap. XXII. de Sejano loquens: *Decernebatur illi ſtatua in Pompeii theatro ponenda, quod exuſtum Cæſar reficiebat*. De Hecatonſtylo Martialis lib. III. epig. 19.

Proxima centenis oſtenditur urſa columnis,
Exornant fictæ qua platanona feræ.

Hinc liquidò patet, ſtadium, quod erat prope Theatrum Pompeii Regione IX. in Circo Flaminio, Martialis ævo ſub Domitiano extructum. Nemo ignorat, platanonas, daphnonas, & arbores in ſtadiis, & xyſtis

tum Oratores utuntur in amplificando. Duplicant etiam centum, & centum; non quod centenarius numerus ſit definitus, ſed etiamſi res ipſa centeſimum excedat, ut Pompejanæ porticus columnationes rectà procedentes ſatis indicant in noſtro veſtigio, quæ majori longitudine producebantur. Andreas Bufalinus ipſum veſtigium refert ad inſignes reliquias, quæ durant adhuc in Cælio Amphitheatrum verſus, & agnoſcit murorum ſtrues, & hemicyclos per intervalla deſcendentes a ſummitate Collis in planiciem, ubi Porticum ſtetiſſe, autumat (87). Videtur inde Hecatonſtylum in Hoſtilium, ſeu Curiam Hoſtiliam corruptè commutatum. Hemicycli, & muri apparent ad formam noſtri veſtigii; at columnarum, porticuſque indicamenta non extant; ſed aulæ, cubicula, Theatrum, aquæductus, fontes, & nymphæa exhibentur.

V L I A. Julia.

Dion lib. XLVII. pag. 338. Pertinet fortè hoc veſtigium ad Curiam Juliam, de quâ Dion: Τό τε οἴκημα, ἐν ᾧ ἐσφάγη, παραχρῆμα τε ἔκλεισαν, καὶ τὸν βουλευτήριον τὸν Ἰούλιον ἀπ' αὐτοῦ κληθὲν, παρὰ τῷ Κομιτίῳ ὠνομασμένῳ ᾠκοδόμουν, ὥσπερ ἐψήφιστο. H. E. *Domumque, in quâ cæſus fuerat, ſtatim obſtruxerunt, Curiam Juliam ab eo dictam, ex decreto priùs facto ædificarunt propter Comitium* (88). *Id. lib. LI. pag. 459.* Idem ab Auguſto conſecratam, ſcribit: Τό τε Ἀθηναῖον, καὶ τὸν Χαλκιδικὸν ὠνομασμένον, καὶ τὸν βουλευτήριον τὸν Ἰουλίειον τὸν ἐπὶ τῇ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ τιμῇ γενόμενον, καθιέρωσεν. H. E. *Minervæ Templum, & quod Chalcidicum vocatur, tum Curiam Juliam in honorem Patris ſui factam dedicavit.* De ipsâ Gellius, & Svetonius in Caligula.

A. Gellius Noct. Attic. lib. XIV. cap. 7. Sveton. in Caligul. lib. iv.

Proximum Templi fragmentum Trajani eſſe confirmat veſtigium

ſtis ſatas fuiſſe. Zoſimus lib. II. Στάδιον ἦν τὶ πρὸ τῆς πόλεως τῶν ἀφορισθέντων ἄνωθεν τῇ τῶν ὁπλομάχων ἁμίλλῃ, πανταχόθεν ὕλαις ἀμφηρεφὲς. H. E. *Stadium erat quoddam ante Civitatem delectorum ſupernè armis decertantium pugnæ, undique ſilvis circumtectum.* Liquet hoc etiam ex Vitruvio lib. v. cap. 11. *Hæc autem porticus xyſtos apud Græcos vocitatur, quod Athletæ per hiberna tempora in tectis ſtadiis exercentur. Facienda autem Xyſta ſic videntur, ut ſint inter duas Porticus ſilvæ, aut platanones, & in his perficiantur inter arbores ambulationes.*

(87) A. Improbat Bellorius quidem luculenter Buſalinii ſententiam ipſius veſtigii formis, quamquam poterat hujus opinionis falſitatem clarius detegere, Pomponii Læti præſertim auctoritatem adhibens, qui in *Roman. Hiſtor. Compend.* cap. III. refert, *theatrum Pompeii arſiſſe, & propinquum hecatonſtylon, centum columnarum in Campo Martio opus.* Si ergo hoc ædificium in Campo Martio, qui eſſe poterat in Cælio?

(88) A. Hunc Dionis locum, quem pro noſtrâ conſuetudine etiam græcè produximus, aliter latinè reddidimus, quam redderetur antea in prioribus Bellorii editionibus, quia non admodum accurata viſa nobis eſt illa verſio. Idem factum de ſubſequenti, quamvis rectiùs ſe haberet, eo conſilio, ut ſuperior verſio poſteriori & re, & locutione pleniùs, quo fieri poterat, reſponderet.

gium apud Antonium Labaccum : Gradus habet , pronaum , & cellam (89).


THEATRVM. MARCELLI

IN hoc fragmento ſcenæ porticus , & pulpitum deprehenduntur : Ichnographiam integram exhibet Sebaſtianus Serlius lib. 3. de Architecturâ , cum quâ conferas (90). *Sebaſtian. Serlius de Architect. lib. iij.*

P IN

(89) A. En fidem datam liberamus. Scilicet adnotatione noſtrâ (32) ſpopondimus , hoc loco nos iconem Templi Divi Trajani prolaturos , proindeque ipſam ex hujus Imperatoris nummo petitam inferius ſubjicimus. Cernitur Templum octo columnis inſtructum , in cujus medio habetur figura ſtans dextrâ caduceum , lævâ cornucopiæ gerens. Figura illa Felicitas a Vaillantio cenſetur , cujus ea ſunt ſymbola. Senatus id Trajano fortaſſe dicavit , quod ipſe regnans pacem , & abundantiam in Urbem auſpicatò invexiſſet. Felicitatis Templum cenſetur a Pub. Victore in Regione v. Eſquilinâ juxta Honoris Ædes.

Æ




(90) A. Breviter nimiùm heic ſe gerit Bellorius , & tacitè omnino Adnotator noſter : Quare nos inſtituti noſtri memores hæc pauca ſubjungimus. Theatrum Marcelli , licet Marcelli nomen oſtentet , auctorem habet Octavianum Auguſtum , ut patet ex Svetonio in ejus vitâ lib. II. Nam ipſe quædam opera Auguſtum ſub nomine alieno Nepotum ſcilicet , & Uxoris , Sororiſque feciſſe , aſſerit ; qualia ſunt Porticus , & Baſilica Lucii , & Caii ; Porticus Liviæ , & Octaviæ , ac demum Theatrum Marcelli. Hic eſt verò ille M. Claudius Marcellus M. Marcelli , & Octaviæ Auguſti Sororis Filius , & Auguſti Nepos generoſiſſimæ , lætiſſimæque indolis Adoleſcens , & fortunæ , qui ædilitatem magnificentiſsimè geſsit , cuique cum Juliam Filiam Auguſtus deſponſaſſet , velletque potentiæ , & Imperii ſucceſſorem relinquere , acerbo funere ſublatus fuit non ſine ſuſpicione Liviæ Druſillæ artibus mortis quæſitæ , ut Filiis imperii viam aperiret. Defunctum publicè laudavit Auguſtus , atque ingenti pompâ in Campo Martio ſepelivit. Hujus æreum ſingulare numiſma vulgavit eruditiſsimus Spanhemius. Theatrum verò , cujus nomini Auguſtus , Circenſibus ludis indictis , dedicavit , conſtat fuiſſe operis ſumptuoſiſsimi , ac ad infimum Argileti juxta templum Pietatis fuiſſe conditum , cui Octavia Mater ejus memoriæ cauſsâ Bibliothecam præcipui ſumptus addidit. Inſignis hujus theatri reliquiæ etiamnunc extant , licet converſæ fuerint in Sabelliæ Gentis , nunc verò Urſiniæ ſplendidiſsimas Ædes. Regnante ipſo Octaviano Auguſto , Marcelli Theatrum incenſum eſt , ut habemus in Euſebii Chronico : Θέατρον Μαρκέλλου ἐν Ῥώμῃ ἐκαύθη. H. E. *Theatrum Marcelli Romæ arſit*. Onuphrius Panvinius teſtatur , hoc Theatrum inſtructum fuiſſe locis XXX. M. Ejuſdem etiam mentio extat in antiquis lapidibus , ac proinde eam ipſam , quam refert Panvinius , heic nos iterum nunc ſtatuemus :


IMP.

IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . F
NERVAE . TRAIANO . AVG. GERM
DACICO . PONT. MAX. TRIB. POT. VIII
IMP. IIII. COS. V. P. P. OPTIMO . PRINCIPI
SAGARI . THEATRI . MARCELLI
CVLTORES . DOMVS . AVG

In hac eâdem Tabulâ cernuntur quædam Inſcriptionum reliquiæ, ut eſt illa ES. SYN..., tum inferiùs ANVS. Si quis eas mihi ad veriſimilem lectionem redigat, næ ille mihi magnus Apollo.


Tempio del Sole, e della Luna che si vede nel Giardino de PP. di S. Francesca Romana incontro il Coloſseo

XIII



TABULA. XIII.

IN TEL. In Tellure

QUI locus, quodque ædificium fuerit *in Tellure*, non conſtat. Famianus Nardinus Regione IV. Templum Telluris inquirens in Foro Nervæ advertit Servii verba VIII. Æneidis: *Carinæ ſunt ædificia facta in Carinarum modum, quæ erant intra Templum Telluris*. Probat illud intra non importare, quæ in templo ſunt, ſed templo adjacentia ædificia, quaſi infra templum, non in templo. Aſſentimur Nardino, ſed ampliori interpretatione, intra templum Telluris, & in Tellure idem eſſe, idemque ſignificare credimus ex noſtri veſtigii titulo, referrique ad exteriora loca. Satis probant Acta Sancti Gordiani: *Clementianus præcepit ei caput amputari ante Templum in Tellure, corpuſque ejus projici ante Palladis Ædem.* Anaſtaſius de Divo Cornelio: *Quem tamen juſſit ibi præſentari cum Præfecto Urbis in Interlude*, emendat Nardinus *in Tellure*. Idem Nardinus templum Telluris ſtatuit ad Forum Nervæ, ſeu Palladium, ubi nunc ædicula Sanctæ Mariæ Angelorum in Viâ Alexandrinâ, quæ antiquitus tendebat ad Carinas, dividebatque Regiones Viæ Sacræ, & Fori Romani, quæ via in noſtro veſtigio apparet (91).

Famian. Nardin. lib. iij. cap. 14.

Famian. Nardin. ibidem.

AEDES.

ÆDES duæ, quas proximas videmus, fuerint ne Telluris, & Palladis ſupra deſcriptæ, non auſim affirmare; veriſimile tamen eſt, utrique dicatas, cum ex Actis Sancti Gordiani Templum Telluris a Templo Palladis non longè ſtetiſſe ad Forum Palladium, intelligatur.

Quoad

(91) A. Neſcio, an hoc Telluris Templum a P. Sempronio Duce conſtructum aſſeram: Ipſe ſaltem, ut narrat Lucius Florus *de Geſt. Rom.* lib. I. cap. 19., domitis Picentibus, & capite Gentis Aſculo, ac tremente inter prælium campo, Tellurem Deam promiſsâ æde placavit. M. Antonius in hoc Templo convocavit Senatum. Cicero Philipp. I. c. 1. *Nec a Republicâ dejiciebam oculos ex eo die, quo in Ædem Telluris convocati ſumus: in quo templo, quantum in me fuit, jeci fundamenta pacis, Athenienſiumque renovavi vetus exemplum, Græcum etiam verbum* ἀμνηστίας *uſurpavi* &c. Vide & Philipp. II. c. 35.

Quoad architectonicas rationes ſuperioris ædis Cella ex eurithmiâ Vitruvianâ parte quartâ longior eſt, quam lata, habetque in antis columnas angulares duas. Vitruvius: *Proſtylos omnia habet, quemadmodum in antis, columnas autem contra antas angulares duas* (92). Habet præterea ſimplices alas, & ambulationes a lateribus, ſimplicemque porticum in fronte, non obſervato integro ordine, & numero columnarum: Secunda Ædes non habet alas a lateribus, nec regulam retinet in pronao, neque in Cellâ, cum ſuâ latitudine longitudinem excedat: Ante gradus utriuſque Ædis baſis Statuæ poſita eſt.


Vitruv. lib. iij. cap. 1.

CA. C. D.

(92) A. Tandem expergiſcitur Adnotator noſter, & in margine aliquot verba addit, quo plenior Vitruvii locus legatur, cum antea in prioribus editionibus iiſdem mancus cuſus fuiſſet.



Ponte molle


CA
G D
H
INTER
E
PIS
AR
TERIAI

TABULA. XIV.

C A. G D. Calvini Gnei Domitii



ESTIGIVM triangulare ſepulcralis Pyramidis eſſe videtur, columnis ab unoquoque latere ex ordine reſpondentibus; unde interpretamur Gn. Domitii Calvini. Nec intereſt, quod agnomen Calvini (93) ſuperponatur prænomini, & nomini Gn. Domitii in hoc titulo; namque idem accidit in Inſcriptionibus numiſmatum Conſularium, RVF. M. LVCILI, nempe M. Lucilius Rufus: TRIO. L. LVCRETI, id eſt Lucius Lucretius Trio. Gens Domitia altera Calvinorum, altera Ahenobarborum cognomine uſa fuit, ut ex Svetonio tradit Fulvius Urſinus: *Gn. Domitius Calvinus, qui Conſul anno* DCC. XIII. *cum C. Aſinio Pollione fuit, & Imperator ex Hiſpaniâ, de quâ Procos. triumphavit anno* DCC. XII. *eſt appellatus*. Domitiorum Sepulcrum fuit in Colle Hortulorum, in quo Neronis reliquiæ, & cineres conditæ fuerunt. Svetonius in ejus vitâ: *Reliquias Ecloge, & Alexandra nutrices cum Acte concubinâ gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod proſpicitur è Campo Martio, impoſitum Colle Hortulorum. In eo monumento ſolium Porphiretici marmoris, ſupereſtante Lunenſi arâ, circumſeptum eſt lapide Thaſio* (94). Hoc monumentum ſtatuunt Antiquarii ad Portam Flaminiam, ubi Eccleſia Sanctæ Mariæ de Populo. Sed Domitius Nero ex Ahenobarbis diverſum fortè a Calvinis habuit monumentum, quod in aliâ parte Campi Martii, vel in alio Urbi proximo loco credibile eſt extitiſſe. Inter nobilia Gentis Domitiæ ædificia, quæ Romæ in Hortis extabant, Aviarii Domitiorum exiguum quidem, ſed lepidum, atque elegans monumentum habemus in antiquâ, rotundâ, marmoreâ urnulâ, in quâ Philomela, ſeu Luſcinia tumulata fuit cum jocoſâ Inſcriptione. Adſervatur in Bibliothecâ Eminentiſſimi Cardinalis Maximi, & nos levioribus, ac minutioribus Muſis hic damus:

Fulv. Urſin. de Famil. Rom.

Sveton. in Neron. lib. vi. cap. 50.

Q DI.

(93) A. En rurſus Bellorius in eumdem lapidem offendit, in quem ipſum jam offendiſſe, ſuperiùs oſtendimus ad Tabulam x. adnotat. (76), vocando heic ſcilicet τὸ *Calvinus* agnomen, cum cognomen dicere debuiſſet, ut revera cognomen eſt Gentis Domitiæ.

(94) A. Heic ſedulus Adnotator noſter Svetonii teſtimonio primum verbum addit, quod jam antea deſiderabatur.

D I S . A V. I B V S

L V C I N A E . P H I L V M E N A E . E X . A V I A R I O . D O M I T I O R
S E L E C T A E . V E R S I C O L O R I . P V L C E R R I M A E . C A N T R I C I
S V A V I S S. O M N I B. G R A T I I S . A D . D I G I T V M . P I P I L L A N T I
I N . P O C V L O . M V R R H I N O . C A P V T . A B L V E N T I
I N F E L I C I T E R . S V M M E R S A E . H E V . M I S E L L A
A V I C V L A . H I N C . I N D E . V O L I T A B A S . T O T A
G A R R V L A . T O T A . F E S T I V A . L A T I T A S . M O D O
I N T E R . P V L L A . L E P T Y N I S . L O C V L A M E N T A
I M P L V M I S . F R I G I D V L A . C L A V S I S . O C E L L I S
L I C I N I A . P H I L V M E N A . D E L I C I A E . S V A E
Q V A M . I N . S I N V . P A S T I L L I S . A L E B A T
I N . P R O P R I O . C V B I C V L O . A L V M N A E . K A R I S S

L A C R V M A N S . P O S

H A V E . A V I S . I O C V N D I S S I M A . Q V A E . M I H I . V O L A N S
O B V I A . B L A N D O . P E R S O N A N S . R O S T E L L O . S A L V E
T O T I E S . C E C I N I S T I . C A V E . A V I S . A V I A . A V E R N A
V A L E . E T . V O L A . P E R . E L I S I V M
I N . C A V E A . P I C T A . S A L T A N S . Q V A E . D V L C E . C A N E B A T
M V T A . T E N E B R O S A . N V N C . I A C E T . I N . C A V E A (95).

IN-

(95) A. Hoc Luſciniæ epitaphium antiquo vaſi minutiſſimis characteribus inſculptum eſt, & inter joco-ſeria pag. 235. dicitur fuiſſe Jacobi Boſſii. Refert etiam idem Fabrettius inter ſuas Inſcriptiones cap. IV. n. 494. Lepidiſsimam dixeris hanc funebrem næniam, hujuſque Liciniæ Philumenæ exemplum non diſsimile ab altero, quod de Theleſinâ prædicat Martialis lib. VII. epigr. 87.:

Luſciniæ tumulum ſi Theleſina dedit.

INTER. Intermontium. Inter Aggeres, vel inter Lignarios (96).

PIS. Templum, ſeu Ædes Opis in Capitolio (97).

AR. LERIAI. Area Valeriana, vel Arcus Valeriani.

A Publio Victore Regione IX. ponitur ſtatua Valeriana: fortè in hac areâ (98).

Magni, Auguſtique ædificii ſine titulo ſuccedit veſtigium; in quo gymnaſium, & Porticus cum ambulationibus; Balineum a ſiniſtrâ loculis, & pilis exornatum, in cujus medio labri baſis quadrata. Hinc magnifica cubicula, cum quibus Aula, ſeu Muſeum, pilis pariter, & loculis excultum. Inde Pinacotheca oblonga ab uno, alterove capite, hemicyclis curvata, aliaque mirâ ſtructurâ diſpo-

(96) A. Si de Intermontio Epigraphis huius reliquias lubeat interpretari, jam ſciendum, Intermontium dictum fuiſſe inſtar valliculæ locum umbroſum, & medium inter Capitolium, & Arcem. De eo quidem loquutum volunt Dionyſium Halicarnaſſ *Roman. Antiq.* lib. II. pag. 88., dum ait Τὸ γὰρ μεταξὺ χωρίον τοῦ τε Καπιτωλίου καὶ τῆς ἄκρας, ὃ καλεῖται νῦν κατὰ τὴν Ῥωμαίων διάλεκτον, μεθόριον δυοῖν δρυμῶν καὶ ἦν τότε τοῦ συμβεβηκότος ἐπώνυμον, ὕλαις ἀμφιλαφέσι κατ' ἀμφοτέρας τὰς συναπτούσας τοῖς λόφοις λαγόνας ἐπίσκιον. H. E. *Locum umbroſum & medium Capitolii, & Arcis, quod linguâ Romanâ vocatur* Intermontium *duorum quercetorum, & tunc ex re habebat vocabulum, ab utroque clivo denſis ſeptum arboribus, quibus jungebantur colles*. Verùm quod heic Lapus, aliique vertunt *Intermontium*, aliter reddunt ceteri; Priores enim conjiciunt, μεθόριον eſſe ab ὄρος *mons*, non ab ὅρος *finis*, *terminus*, *limes*, ut cenſent poſteriores, qui propterea eam vocem *Interfinium* ad verbum ſonare contendunt, ideſt locum ſitum in confinio duorum illorum quercetorum, quæ laudato loco deſignantur. Gelenius, & Fridericus Sylburgius Veterenſis interpretantur *inter duos lucos* ex Livii Decad. I. lib. I., cujus hæc ſunt verba: *Locum, qui nunc ſeptus denſis ſentibus inter duos lucos eſt, aſylum aperit*. Apud Varronem legitur etiam *Querquetulanum Sacellum*: Apud Nonnium *Querquetulanæ viæ*, & *Querquetularia Porta*, quam Portam Romæ ſic dictam ſcribit, quia querquetum intra muros Urbis juxta ſe habuerit. Sed an iſta huc pertineant, non ita facile dictu eſt.

Si verò *Inter Aggeres* legendum quiſpiam exiſtimet, præſamur ante omnia, aggerem plura ſignificare; primò enim ſumitur pro parte viæ mediâ altiuſculâ, ac leniter acclive, inter utrumque limitem lateralem corrotundatâ, ne aquæ in viâ deſides hæreant, ſed defluendo viam ſiccam, lutique expertem exhibeant. Deinde ſumitur pro militari ſepimento, de quo paſsim mentio apud Thucydidem, Cæſarem, Hirtium, ceteroſque veterum Bellorum Hiſtoricos. Tertio loco demum ſumitur pro munitione illâ, quâ L. Tarquinius Superbus VII. Rex adverſus Latinorum, ceterorumque hoſtium incurſiones Urbem ab oriente fulcivit. Adhuc cernuntur ejus reliquiæ ultra Diocletiani Thermas ab eo loco uſque ad Arcum Gallieni ferè porrectus. De eo ſic Plinius lib. III. cap 5 *Clauditur Urbs ab Oriente aggere Tarquinii Superbi inter prima opere mirabili; namque eum muris æquavit, qua maximè patebat aditu planè, cetera munita erant præcelſis muris, aut abruptis montibus*. Hanc munitionem a Tullio ante Tarquinium peractam indicat Livius I. 44., ubi de Tullio: *Auget Eſquilias, ibique ipſe, ut loco dignitas fieret, habitat: aggere, & foſſis, & muro Urbem circumdat*. De boc etiam Strabo *Geograph.* lib. V. pag. 257. Ἤλεγξε δὲ Σερούιος τὴν ἔκλειψιν ἀναπληρώσας, προσθεὶς τόν τε Ἠσκυλῖνον λόφον, καὶ τὸν Οὐιμινάλιον. Καὶ ταῦτα δ' εὐέφοδα τοῖς ἔξωθεν ἐστί. Διόπερ τάφρον βαθεῖαν ὀρύξαντες, εἰς τὸ ἐντὸς ἐδέξαντο τὴν γῆν, καὶ ἐξέτειναν ὅσον ἑξαστάδιον χῶμα ἐπὶ τῇ ἐντὸς ὀφρύϊ τῆς τάφρου. καὶ ἐπέβαλον τεῖχος, καὶ πύργους ἀπὸ τῆς Κολλίνας πύλης μέχρι τῆς Ἠσκυλίνας. H. E. *Quem defectum Servius arguit, qui complevit murum, adjectis Urbi Eſquilino, & Viminali Collibus: quæ omnia cum facilè capi extrinſecus poſſent, foſſam altam egerunt, terrâque intro receptâ, aggerem ſex circiter ſtadiorum in interiore foſſæ margine fecerunt, muroſque, & turres in eo conſtituerunt a Collinâ Portâ uſque ad Eſquilinam*. Hoc certè in loco verba illa pluralis numeri ὀρύξαντες, ἐδέξαντο, ἐξέτειναν & ἐπέβαλον evidentiùs adhuc a duobus aggerem illum factum arguunt. Tum & porta *inter aggeres* appellata plurium, quam unius, id opus fuiſſe indicat. Quare ſi hæc ſecunda lectio admittenda foret, jam & hæc Porta *inter aggeres* heic intelligenda veniret.


Tandem ſi probetur tertia lectio *Inter Lignarios*, ſciendum, ipſos fuiſſe Romæ extra Portam Trigeminam. Scilicet id patet ex Livio XXXV. 41. *Ædiles Porticum extra Portam Trigeminam inter lignarios fecerunt*. Quodnam verò ex hiſce tribus revera ſit adſtruendum, quilibet ſuo Marte rimetur.

(97) A. Plures fuerunt Opis Ædes; una namque erat in Capitolio, altera in Vico Jugario, quæ & Saturno communis fuit, quemadmodum & tertia ejus ædicula extitit in Arce Capitolinâ.

(98) A. Neſcio, an Bellorii oſcitantiâ, vel Typographi vitio factum ſit, ut heic Statua Valeriana cenſa fuerit in Regione IX., cum reverâ P. Victor, ſicuti & Onuphrius Panvinius in Regione XIV. Tranſtiberim Vicum Statuæ Valerianæ recenſeant.


diſpoſita. Hic referre libet Regiam Alexandriæ Ægypti deſcriptam a Strabone. Ἔχει δ᾽ ἡ πόλις τεμένη, τά τε κοινὰ κάλλιστα, καὶ τὰ βασίλεια, τέταρτον, ἢ καὶ τρίτον τοῦ παντὸς περιβόλου μέρος . . . . . Τῶν δὲ βασιλείων μέρος ἐστὶ, καὶ τὸ μουσεῖον, ἔχον περίπατον, καὶ ἐξέδραν, καὶ οἶκον μέγαν, ἐν ᾧ τὸ συσσίτιον τῶν μετεχόντων τοῦ Μουσείου ... H E. *Habet verò Urbs publica fana pulcherrima, & Regias, quæ quartam, tertiamque totius ambitus partem occupant. ... Pars enim Regiarum & eſt Muſeum, quod deambulationem habet, & exhedram, maximam domum, in quâ cænaculum eſt eorum, qui Muſei conſortes ſunt* . . . . . &c.

Strab. Geogr. lib. xvij. pag. 921.



Veduta del Monte Palatino, e parte della Colonna Trajana

THEA-


THEATRVM

TABVLA. XV.

THEATRVM ..... EI. Theatrum Pompeii

EN Pompejani Theatri integrum veſtigium. Spectatorum Cuneos aſpice, & circulares gradationes; in quarum centro orcheſtra. Orcheſtram rectilinea dividit ſcena, quæ frons theatri eſt: in cornibus hinc inde porticus. Daniel Barbarus in Vitruvium: *Ab ſcenâ ad theatri cornua erant porticus, ſed non ita continui, ut cornua theatri tangerent, quamvis in aliquibus veſtigiis videtur; ſed erant tamquam alæ, & pteromata ipſius ſcenæ.* Aula Regia in medio cum valvis, & aperitionibus, per quas Actores exibant in ſcenam. Dextrâ, ac ſiniſtrâ Regiæ hemicycli, ſeu nichii, in quibus etiam valvæ, & aperitiones ſtructurâ magnificâ columnarum. Vitruvius eodem libro: *Ipſæ autem ſcenæ ſuas habent rationes explicatas, ita uti mediæ valvæ ornatus habeant Aulæ Regiæ, dextrâ, ac ſiniſtrâ hoſpitalia, ſecundùm ea ſpatia adornatus comparata, quæ loca Græci περιάκτως dicunt ab eo, quod machinæ ſunt in his locis verſatiles trigonos habentes*: Ubi Daniel Barbarus: *Valvæ mediæ, quæ medio cuneo e quinque ſcenæ attributis reſpondent, ab ornamentis, & amplitudine, quam habent, Regiæ dicebantur. Utrinque aliæ portæ erant concharum modo, quas nichios dicimus: ita pro fronte ſcenæ tres erant aperitiones, ante quas in ſingulis machinæ erant collocatæ.* Poſt ſcenam porticus, & ambulationes extant, de quibus idem Vitruvius: *Poſt ſcenam porticus ſunt conſtituendæ, uti cum imbres repentini ludos interpellaverint, habeat populus, quò ſe recipiat ex theatro, Choragiaque laxamentum habeant ad Chorum parandum, ut ſunt Porticus Pompejanæ.*

Daniel Barbar. in Vitruv. lib. v. cap. 6.

Vitruv. ibid.

Vitruv. lib. v. cap. 9.

Pompejus, devicto Mithridate, Romam reverſus theatrum ſtruxit expreſſum a Mitilenæo, ut inquit Plutarchus; grandius tamen, & pulchrius. Scribit Dion, ædificatum fuiſſe non a Pompejo, ſed a Liberto ejus Demetrio (99), nomenque ad Pompejum

Plutarch. in Vit Pompeii.

Dion lib. xxxix. pag. 209.

R retu-


(99) A. Demetrius Libertus, de quo hic ſermo, tantum gratiâ valuit apud Pompejum, ut ipſius cauſſâ Gadaram Patriam ejus (fuit enim Gadarenſis, ac fortaſſe Judæus) paullò ante a Judæis ipſis everſam Pom-

retuliſſe, ne malè audiret, quod Libertus tantum pecuniæ collegiſſet, unde tantos ſumptus facere poſſet. Sufficiebat largè hoc *Plin. lib. xxxvi. cap. 15.* theatrum, teſte Plinio, quadraginta hominum millibus, habebatque exiguo diſſitas intervallo Pompeii Porticum, Regiam, ſeu Baſilicam, *Alexand. Donat. lib. iij. cap. 8.* & Curiam, ut benè advertit Alexander Donatus. Theatri curva pars, ſpectatorumque cunei a Campo Floræ tendebant, ſeſeque inclinabant a meridie viam Clavariorum verſus, ut & hodiè in Urſinarum Ædium ſtabulis fornicum deſcendentium circulariter ad orcheſtram reliquiæ ſpectantur, quas Bufalinus exhibet cum integrâ theatri deſcriptione in ſuâ recentis Urbis Ichnographiâ. A cuneorum, & gradationum fronte ſcena vergebat ad Eccleſiam Sancti Caroli ad Catinarios. Quare Porticus, quæ ſtetit a tergo ſcenæ, ut inquit Donatus, propinquior Circo Flaminio, & Capitolio fuit. Alia verò porticus, quam etiam a tergo circularis curvaturæ theatri aſpicimus in noſtro veſtigio, recta tendebat verſus Campum Floræ. In eodem theatro ludos dedit Nero, totumque inauravit, ut oſten- *Dion lib. lxiij. pag 718.* deret Tiridati Arſacidi Regi Armenorum. De hoc Dion: Τὸν θέατρον, οὐχ᾽ ὅπι ἡ σκυνὴ, ἀλλὰ καὶ ἡ περιφέρεια αὐτοῦ πᾶσα ἔνδοθεν ἐκεχρύσωτο. Καὶ τ᾽ἄλλα ὅσα ἐσῄει, χρυσῷ ἐκεκόσμητο. ἀφ᾽ οὗ καὶ τὴν ἡμέραν αὐτὴν χρυσῆν ἐπωνύμασαν. H. E. *Totum Theatrum intus cum ſcenâ inauravit, auro etiam ornatis, quæ intromittebantur, extenſis ſupra velis, quæ ſtellis aureis diſtinguebantur. Quare ille ludorum dies aureus nominatus eſt*. Multa, egregiaque fuere in eo theatro *Plin. lib. xxxvi. cap. 5.* ornamenta. Plinius: *Pompejus Magnus in ornamentis theatri mirabiles formâ poſuit effigies, ob id diligentiùs magnorum artificum ingeniis elaboratas*. *Sveton. in Vit. Neron. cap. 46. Plin. ibid.* Fuere quoque Gentium, & Nationum in ipſa ſimulacra (100), ut ex Svetonio, & Plinio.

POR-

Pompejus inſtauraverit, quemadmodum teſtatur Joſephus XIV. 4., & *de Bello Judaico* lib. I. cap. 7. Maximâ etiam auctoritate uſus eſt in Provinciis, ut ibi homines effuſi, ipſique Sacerdotes, & Magiſtratus ante portas cum coronis, & chlamidibus, candidiſque veſtibus amicti obviam ei occurrerint, ut narrat Plutarchus in Pompejo, & in Catone Minore, referens ſcilicet Catonis vocem, qui dum Antiochiæ hoc fieri intuebatur, quod ſui cauſsâ patratum cenſuerat, & poſtea Demetrio deſtinari deprehendit, exclamavit: Ὦ τῆς ἀθλίας πόλεως; *ob miſeram Civitatem*! Conſule Petrum Victorium ad *lib.* IV. Cicer. *ad Attic. epiſt.* II., & Lipſium ad Senecam *de Tranquillitate animi* cap. 8.

(100) I. & A. Mos effingendi ſimulacra Nationum illuſtratur a Figrellio *de Stat.* cap. 2. Servius ad verſ. 722. lib. 8. Virgilii Æneidos ait, Auguſtum excitaſſe Porticum hujuſmodi ſimulacris ornatam, ac propterea dictam *ad Nationes*. Simulacra Nationum devictarum, vel ſub imperio manentium exponebantur in Principum etiam funeribus, ut nimirùm factum fuit in Auguſti, ac Pertinacis funeribus, quemadmodum narrat Dion lib. LVI., & LXXIV. Martinus Polonus in Chronico hæc ſimulacra deſcribit, ſed neſcio, cujus auctoritate ſuffultus: *Erat Romæ conſecratio omnium Statuarum, quæ Statuæ ſcripta nomina gentis in pectore, cujus imaginem tenebant, gerebant.*


PORTIC
AE
BALNE
COTINI
AREA
POL
DA
DALIN
N AE
SEF APAEV
REA APO
VOS
NTEB
A
V RNI
PVBLI
EGIA
ASTA
N O V
VLPIA
BE

TABULA. XVI.

PORTICVS . AE. Porticus Æmilia



ALIQUOT Porticus columnæ ſuperſunt in fragmento . Livius : *Ædilitas inſignis eo anno fuit M. Æmilii Lepidi*, &c. *Porticum unam extra Portam Trigeminam Emporio ad Tiberim adjecto , alteram ad Portam Fontinalem ad Martis aram, quâ in campos iter eſſet, perduxerunt* . Alexander Donatus Trigeminam Portam , nunc Sancti Paulli , ad eum locum , ubi & hodiè ſita eſt , translatam ab Imperatore Claudio , probat ex commentario Elidis Grammatici veteris apud Gellium , in quo ſcriptum erat : *Aventinum anteà , ſicuti diximus , extra pomœrium excluſum , poſt auctore D. Claudio, receptum , & intra pomœrii fines obſervatum* . Unde ante Claudium ſtatuit Donatus , eamdem Trigeminam ad Scholam Græcam , ubi nunc Templum Sanctæ Mariæ in Coſmedin . Quam ſententiam ex Livio , ex Dionyſio , aliiſque referre nititur Nardinus . Fortè Claudius univerſum Aventinum clauſit , quem antea Ancus Rex in Civitatem comprehenderat . Pomœrium auxit Auguſtus , ac Tiberii ævo certum eſt , Aventinum intra ambitum Urbis fuiſſe comprehenſum . Ad cujus argumentum addimus nobilem Arcum in Urbe a Plebe Urbanâ Germanico , & Druſo dicatum (101) , cujus veſtigia paucis ab hinc annis effoſſa ſunt ad Tiberim in ſubjecto clivo , ac planicie , qua Templum Divæ Sabinæ , & horti Dominicanæ familiæ eminent in colle , cujus Arcus inſignes Inſcriptiones in Ædibus Eminentiſſimi Cardinalis Maximi adſervatas hic tranſcribimus :

Livius decad. iv. lib. 5.

Alexand. Donat. lib. I. cap. 13.

A. Gellius Noctium Atticar. lib. xiij. cap. 14.

Famian. Nardin. lib. I. cap. 5.

PLEBS . VRBANA . QVINQVE . ET
TRIGINTA . TRIBVVM
DRVSO . CAESARI . TI. AVG. F
DIVI . AVGVSTI . N

DIVI.

(101) A. Arcus iſte triumphalis pulcherrimus cernitur in nummis Druſi primi , & maximi moduli , atque ſuper ipſum adſtat Druſus ipſe eques , licet in nummorum maximi moduli ſchemate longè quidem ſplendidiori etiam trophæum ſignatum appareat. Vid. Vaillantium Tom. I., & II.

DIVI . IVLII . PRONEPOTI
POTIFICI . AVGVRI . SODAL. AVGVSTAL
COS. ITERVM . TRIBVNIC. POTEST. ITER
AERE . CONLATO .

PLEBS . VRBANA . QVINQVE . ET
TRIGINTA . TRIBVVM
GERMANICO . CAESARI
TI. AVGVSTI . F
DIVI . AVGVSTI . N
AVGVRI . FLAMINI . AVGVSTALI
COS. ITERVM . IMP. ITERVM
AERE . CONLATO

BALNEA . COTINI . Cotini privata Balnea (102) .
AREA . POL. Area Pollucis, de quâ in ſequentibus .
PVBLI. Villa Publica , ſeu Vicus Publicius (103) .

NEA.


(102) A. Quis fuerit iſte Cotinus , prorſus neſcio: Nullibi enim ipſius in antiquorum Hiſtoricorum Libris factam mentionem comperi . Illud tamen non omitto, Cotinii cujuſdam nomen extare in titulo quodam , qui legitur apud Reineſium *Syntagm.Inſcript.* Claſſ.VI.n.36 , quique adſervatur in Monaſterio Lambachi ad fluvium Enſium :

L. COTINIVS
L. F. MARTIALIS
DEC. IVAVVE. II. I. D
SIBI . ET . PECCIAE . LAT
INAE . VXORI . V. F

Verſu tertio IVVAVIEnſes ſunt hodie Salisburgenſes .

(103) A. Si de Villâ Publicâ hoc fragmentum epigraphis lubeat interpretari , ſciendum, Villam Publicam a Sex. Rufo , & a P. Victore collocari in Circo Flaminio Regione IX. ad Campum Martium , ubi primùm Populi Romani cenſus actus eſt . In hac Villâ Conſules delectum habuiſſe , conſtat ex Varrone *de Re Ruſtic.* lib. III. cap. 2. *Præterea cum ad Rempublicam adminiſtrandam hæc Villa ſit utilis , ubi cohortes ad dilectum Conſuli adductæ conſiſtant , ubi arma oſtendant , ubi Cenſores cenſu admittant populum* . Scilicet etiam huc pertinet , quod de L. Cornelio Sulla prædicatur , qui ſub ſimulatione delectus novem millia deditorum in hac Villâ interfecit . Rem narrat Dion in Fragmentis Peireſc. ex lib. XXXIV. prioribus cap. 136. n. ? Καὶ τῇ ὑστεραίᾳ τοῖς τε βουλευταῖς ἐς τὸ Ἐνυεῖον , ὡς καὶ ἀπολογησόμενός τι αὐτοῖς , καὶ τοῖς ζωγρηθεῖσιν ἐς τὴν ἀγρὸν τὸν δημόσιον καλούμενον , ὡς καὶ ἐς τὸν κατάλογον αὐτοὺς ἐγγράψων συνελθεῖν κελεύσας , τούτους ἅμα δι' ἑτέρων ἐφόνευσε , καὶ πολλοὶ τῶν ἐκ τῆς πόλεως ἀνθρώπων ἀναμιχθέντες σφίσι παραπώλοντο . H. E. *Poſtridie cum Senatum in Ædem Bellonæ convocaſſet , quaſi rationem aliquam illi redditurus , ſimulque eos , qui bello capti erant , in Villam publicam convenire juſſiſſet , tamquam eos milites ſcripturus ; hos quidem aliorum militum operâ trucidavit , multique tum ex Urbe homines , illis fortè intermixti , una periere* . Atque hæc Dionis narratio convenit cum eo , quod ſcriptum reliquit Aurelius Victor *de viris Illuſtr. Urb. Rom.* cap.57. Hujus verò Villæ iconem habemus in nummis Gentis Didiæ , fortè quia hæc a Didio fuerit reſtituta , vel ornata , ac propterea pro noſtrâ conſuetudine etiam & hanc ſignandam hoc loco curavimus:

Æ



Venio ad Vicum Publicium , ſi fortè ita interpretari arrideat . Vicus Publicius vel a Publiciâ Tribu nomen habuit , vel a Clivo Publicio , qui ita dictus eſt , vel quod publicâ impenſâ conſtructus, vel quod a Publiciis Ædilibus locus ei ſtatutus fuerit . Hic Vicus dictus eſt etiam Publicus . Ipſum verò cenſet Onuphrius Panvinius Regione VI. altâ ſemitâ , atque ſimul eo loci duas refert Inſcriptiones , in quibus ipſius mentio habetur .

NAE. Fortunæ, ſeu Dianæ Templum (104).

AREA. APO. Area Apollinis.

NON ſolùm ante Deorum Templa Areæ a Diis cognomina ſumebant, ſed aliquæ erant in Urbe Areæ cum Aris Diis ſacræ, ut Tabulâ IX. Area Mercurii cum arâ a Rufo deſcriptâ Regione primâ Portæ Capenæ, & in hac tabulâ expreſſas habemus Areas Pollucis, & Apollinis cum aris: hæc verò gradibus ſublimis conſpicitur.

Area cum arâ in Quirinali ab Imperatore Domitiano dedicata fuit, cippis, ſeu cancellis ferreis clauſa; cujus Inſcriptio Tiburtini lapidis e fundamentis Eccleſiæ Sancti Andreæ Soc. Jeſu, Pontificatu Urbani VIII., eruta fuit:

HAEC · AREA · INTRA · HANCCE
DEFINITIONEM · CIPPORVM
CLAVSA · VERIBVS · ET · ARA · QVAE
EST · INFERIVS · DEDICATA · EST · AB
IMP. CAESARE · DOMITIANO · AVG
GERMANICO · EX · VOTO · SVSCEPTO
QVOD · DIV · ERAT · NEGLECTVM · NEC
REDDITVM · INCENDIORVM
ARCENDORUM · CAVSA

Verubus ſanè clauſa, ne cui liceret infra illos terminos ædificium extruere, manere, negotiari, ut ex aliâ Inſcriptione in Manutii Ortographiâ.

S VRNI.

(104) A. Plura fuerunt Fortunæ, & Dianæ Templa; atque ut prima ex ordine expendamus, ſeptem ipſa a P. Victore recenſentur, non verò triginta ſex, ut Vaillantius a Victore deſignari tumido nimis ore teſtatur. Longè tamen plura referuntur ab Onuphrio Panvinio, ſed quæ tamen a trigenario numero longiùs diſtent. Quid autem juvat ire per ſingula? Res enim prolixior fieret, quam quidem oporteat. Videſis, quæ de Templo Fortunæ Virilis expoſuit Bellorius ad Tab. V., quæque nos etiam adnotat. noſtrâ (49) addidimus.

Præter illud verò Dianæ Templum in Aventino, de quo Bellorius Tab. I., Ignotus Adnotator noſter n. (6), & nos n. (7), & (8), quatuor alia recenſentur a Panvinio, unum in Cælio Regione II., alterum in Circo Flaminio Regione IX., tertium, quod Ædiculæ nomine circumfertur, in Piſcinâ Publicâ Regione XII., & quartum denique in Tranſtiberinâ Regione XIV., quod Dianæ Suburbanæ inſcribitur. Quodnam verò ex his illud fuerit, quod heic in veſtigio deſignari, Bellorius ſuſpicatur, facilè & ipſi Œpido hæſuram aquam, exiſtimo. Adverto tamen, facilè horum quodpiam hortatu Auguſti excitari potuiſſe a L. Cornificio, non verò illud, quod in Aventino erat, ut malè ſenſiſſe Matthiam Berneggerium, nos adnotatione noſtrâ (7) animadvertimus,

VRNI . Templum Saturni (105) .
REGIA . Regia Numæ , ſive Pontificis (106) .
VLPIA . Baſilica Vulpia (107) .
NOVA . Fortè Via Nova (108) .

FRagmentum ſine titulo , Viæ Novæ adverſum Porticibus ambitur , in cujus medio ovalis area , ſupra quam hemicyclus , nulli privato uſui ædificium aptum videtur . Perſimilem Ichnographiam


(105) A. Ædes Saturni hortatu Auguſti a Munatio Planco extructa fuit , ut narrat Svetonius in Octavian. lib.II. , atque in eâ olim , dum circa veris tempora Annibal contra Romanos accederet , eoque temporis prodigia quædam contigiſſent , ut ea procurarentur , Decembri Menſe immolatum fuit ex X.Virorum decreto , ut habemus ex Livii decad. III. lib. 2. Ædem verò Saturni in faucibus Capitolii fuiſſe , conſtat ; qui Mons etiam Saturnius dictus , ubi quoque Saturnia Porta , quæ Pandana , eo quod ſemper pateret , dicta eſt . In hac Æde Senaculum fuiſſe , auctores memorant . Narrat etiam Dion lib. XLV. , in hac Æde fixas fuiſſe στήλας , ſive tabulas æneas , quas ventus vehemens coortus anno U. C. LXXII. avulſit , ac diſſipavit .

(106) A. Inter ſex , vel ſeptem , ut aliqui volunt , Urbis Regias una extitit ad Ædem Veſtæ juxta Forum , quam Numa incoluit ; ibique Atrium Regium fuit ; hancque Regiam longo tempore præcipuam fuiſſe tum religione , tum antiquitate , multi prodiderunt , quæ poſtea incendio Neronis unâ cum Æde Veſtæ deflagravit .

Regia verò Pontificum erat ad Templum Fauſtinæ ; atque in illâ ſacra a Rege Sacrificulo peragebantur , ceterique Pontifices a Pontifice Maximo ſacrorum cauſsâ convocabantur . Docet hoc Feſtus : *Regia dicta , quod ſacrorum cauſsâ tamquam in Fanum a Pontifice convocati in eam convenirent , aut quod in eâ ſacra a Rege Sacrificulo erant ſolita uſurpari .*

(107) A. Baſilica hæc eſt ſcilicet Trajani , qui , ut omnes Antiquarii norunt , Nerva Trajanus Ulpius ſalutabatur . Potentiores enim conſueverant ante domorum veſtibulum habere Baſilicas , in quibus erat Tribunal , nonnunquam Scholaſticæ exercitationes , & declamationes fiebant ; licet Baſilicas foro conjunctas plerumque legamus , in quibus convenirent negociatores , & merces exponerent . Hinc Bibliotheca Ulpia ſatis , ſuperque celebris , & Forum Ulpium , quod & Palladium , & Tranſitorium apud Romanos olim audiebat , quodque Nervæ etiam nomine circumferebatur , in quo & Baſilicam Ulpiam extitiſſe , veroſimillimum , quin & certiſſimum pronunciari poteſt . Effigies hujus Baſilicæ cerni poteſt in nummo Trajani aureo , & etiam æneo primi moduli , quem poſtremum idcircò inferiùs ſignandum curavimus ex formâ , quam nobis ſuppeditavit Muſeum Farneſianum Tom.VI. Tab.XXV. n.VI.

Æ



(108) A. Multiplex fuit Via Nova . Antoninus dictus Caracalla magno cujuſdam Viæ Novæ acceſſu Urbem auxit , ut narrat Aurelius Victor in *Hiſtor.abbreviat.* Parte alterâ , quæ eſt *de Cæſaribus* , quam nos & in primâ noſtrâ ad Bellorium adnotatione innuimus . Ælius Spartianus verò hanc Viam a Caracalla dumtaxat munitam in ejus Vitâ deſignat , ut propterea principem ipſius Auctorem non fuiſſe , appareat . Hæc autem Via fuit ſub hujus Imperatoris Thermis , quæ ab ipſius nomine Antoninianæ dictæ ſunt . Alia Nova Via etiam ſupra Ædem Veſtæ , & Romano Foro , ac Velabro juncta extitit . Celebris hæc fuit ob Aii Dei Aram , & Allocutionis Templum illic a Furio Camillo extructa eo temporis , quo Gallos primùm adventare , ibidem prænuncia vox audita fuit . Res memoratur a Livio præſertim decad.I. lib.5. , atque a ceteris , quos mittimus . Frontinus tandem tertiæ cujuſdam Novæ Viæ mentionem facit , quæ a duabus ſuperioribus diverſa apparet . Videſis quoad primam , quæ fuit ad Thermas Antoninianas , adnotationem noſtram (37) ad Tabulam IV.

phiam Serlius exhibet ex reliquiis, quæ ſuperſunt apud Pompeii Theatrum a Campo Floræ ad Septa Judæorum, ſive Porticus ſit, ſive Pompejana Curia. *Serlius lib. iij. de Architectur.*

A. Additamentum ad Tabulam XVI.

SERAPAEVM

QUoniam ab oculis Bellorii noſtri aufugiſſe, advertimus integram, benèque ſervatam epigraphen in marmoreo fruſto ſignatam, quod nobis exhibet Tabula XVI., idcircò operæ pretium duximus paucula quædam adnotare, ac Serapeii deſcriptionem juxta Bellorii normam breviter exponere. Serapeum, vel Serapium idem eſt, ac Templum Serapidis. Hoc cenſetur à Sex. Rufo, & a P. Victore Regione VI. Altâ Semitâ, licet Templum Serapidis habeatur etiam Regione I. Portâ Capenâ, & rurſus Sarapeum Regione IX. in Circo Flaminio. Gruterius ex quâdam Græcâ Inſcriptione Serapidi ſacrâ, quæ in Æde Divi Stephani in Caco una cum Simiâ, & Leonibus hieroglyphicis litteris inſignitis reperta eſt, & nunc in Capitolio adſervatur, conjectat, ibi fuiſſe Templum Serapidis. Inſcriptio hæc eſt: *Gruter. pag. xxij. n. 11.*

ΔΙΙ . ΗΛΙΩ		IOVI . SOLI
ΜΕΓΑΛΩ	ideſt	MAGNO
CΑΡΑΠΙΔΙ		SERAPIDI

Extitiſſe etiam Serapidis Templum in Emporio Viâ Sacrâ, Regione ſcilicet IV., habemus ex Vitruvio, quandoquidem ipſe ſic Templa Diis diſtribuenda docet: *Mercurio in Foro, aut etiam uti Iſidi, & Serapidi in Emporio*. Tum fuerit, neceſſe eſt etiam in Regione III., quoniam ei ab ipſo factum eſt nomen. Serapis verò fuit Deus Ægyptiorum, & præcipuè Alexandrinorum. Hinc Martianus Capell. *Vitruv. lib. I. cap. 7.* *Martian. Capell. lib. ij.*

Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirim.

Scimus etiam ex Strabone, Canopi extitiſſe magnificum Serapidis Templum, de quo hæc inquit: Ἔχουσα τὸ τοῦ Σαράπιδος ἱερὸν πολλῇ ἁγιστείᾳ τιμώμενον, καὶ θεραπείας ἐκφέρον, ὥστε καὶ τοὺς ἐλλογιμωτάτους ἄνδρας πιστεύειν, καὶ ἐγκοιμᾶσθαι αὐτοὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν, ἢ ἑτέρων. H. E. *Habet* [Canopus] *Serapidis templum religiosè cultum, ut etiam nobiliſſimi* *Strab. Geograph. lib. xvij.*

ſimi Viri ei credant, & pro ſe, vel pro aliis inſomnia ibi captent. Ex Oriente verò hujus Dei ſacra Romam translata ſunt, Fanumque Ei in Italiâ erectum, docet M. Tullius, immo & indignatur. Idolum hoc ægrè & ab ipſis Ethnicis inter Deorum numerum receptum eſt, ejuſque templa etiam deſtructa fuiſſe, teſtatur Dion: Ἔδοξε γνώμη τῶν μαντέων πάντα αὖθις τά τε ἐκείνης, καὶ τὰ τοῦ Σεράπιδος τεμενίσματα καταςκάψαι. H.E. *Itaque Haruſpices iterum omnia templa Serapidis demolire juſſerunt*. Romæ verò ſub Domitiano, Aſprenate, & Clemente Coſs., excitatum fuiſſe Serapium, nos docet Caſſiodorus, & Eutropius. Ælius Lampridius verò in Vitâ Alexandri Severi ſcribit, ipſum decenter ornaviſſe Serapium additis ſignis, & deliacis, ac omnibus myſticis. Ad Serapidis Ædem ſolitos fuiſſe mendicos ſtipem exigere, licet conjicere ex Martiali:

M. Tullius lib. iiij de Natur. Deor.

Dion lib. xlij.

Caſſiod. in Chron. Eutrop. Hiſtor. Roman. lib. viij. Ælius Lamprid. in vit. Alex. Sev.


Martial. lib. ix. epig. 30.

Heu quæ lingua ſilet? Non illum mille Cataſtæ
Vincebant, non quæ turba Serapin amat.


Ac ſi dicat, adeo loquacem fuiſſe Philenem, ut dicacitate nec mendicabula illi præſtare poſſint. Quis Serapis fuerit, conſule Apollodorum Βιβλιοθήκης, ἢ περὶ Θεῶν lib. II. in princip., ceteroſque Mythologos.

Apollodor. Bibliothec. ſive de Deor. Origin. lib. ij.

In hac eâdem Tabulâ cernere licet alia nonnulla epigraphum fragmenta, ut DALIN., VOS., cui ſubeſt NTEB., atque demum ASTA, de quibus diu cogitantes excogitare mihi potuimus, quod probaremus.




Veduta di S. Pietro Montorio sul Monte Gianicolo


NA
CIS

TABULA. XVII.

CIS. Ciſternæ



N noſtro veſtigio ad regulam Vitruvii Ciſternæ deſcriptæ ſunt triplici ordine conſtructæ, quorum quilibet quatuor, ſeu plures videtur habere Ciſternas, interjectis cuniculis connexas, ut percolationibus de uno in aliud receptaculum puriores, & ſalubriores aquæ redderentur (109). Vitruvius cum loquitur de aquis deducendis a ſuperioribus locis: *Ea autem loca ſi duplicia, aut triplicia facta fuerint, uti percolationibus aquæ tranſmutari poſſint, multò ſalubriorem ejus uſum efficient; limus enim cum habuerit, quò ſubſidat, limpidior aqua fiet, & ſine odoribus conſervabit ſaporem* (110). *Vitruv. lib. viij. cap. 7.*

Proximum e regione veſtigii fragmentum indicat Ciſternas Titianas [vulgò *le Sette Sale*] in quibus continebantur aquæ ad uſus Thermarum Imperatoris Titi in Eſquiliis (111). Novem ſunt Ciſternæ cum aperitionibus obliquis de unâ in aliam, quarum Ichnographiam integram, & rationes cognoſces apud Serlium in libro de Architecturâ (112). *Serlius lib. de Architect.*

T

(109) A. Eamdem rem docet etiam Plinius *Natural. Hiſtor.* lib.XXXVI.cap.23. de Ciſternis loquens: *Utilius geminas eſſe, ut in priori vitia conſidant, & per colum in proximam tranſeat maximè pura aqua*. Hoc apud Belgas uſitatiſſimum aſſerit Guilielmus Philander Auguſtanus in ſuis ad Vitruvium adnotationibus; ſed cum Ciſternæ ſubterraneæ, & cameratæ ſint, aqua frigidiſſima eſt, nec piſces in ea vivere poſſunt. Ciſternarum aqua collectitia erat, ac propterea Varro lib. I. *de Re Ruſtic.*, præcipit, Ciſternas faciendas ſub tectis, Lacus verò ſub dio, atque illarum aquâ homines, horum verò beſtias potari, affirmat: *Ciſternæ faciundæ ſub tectis, & lacus ſub dio; ex altero loco ut homines, ex altero pecudes uti poſſint*. De Ciſternis loquitur etiam Ulpianus lib. I. ff. *De Fonte*.

(110) A. In prioribus Bellorii editionibus loco *ſaporem*, ut ex Adnotatore noſtro emendavimus, legebatur *ſpiritum*; ſed favet primæ lectioni id, quod ſequitur apud Vitruvium, ubi ſcilicet Ciſternæ ſale inficiendæ mandantur.


(111) A. Thermæ Titianæ conſtructæ ſunt, Domitiano IX., & Clemente II. Coſs. De hiſce Thermis etiam mentio apud Julium Capitolinum in vitâ Maximi, & Balbini. Hæ Thermæ extabant olim in loco, ubi nunc horti Monaſterii Divi Petri in Vinculis, quarum reliquiæ etiamnum cernuntur.

(112) A. Novem & hodie cernuntur hæ Ciſternæ, quarum ſingulæ in latitudinem excurrunt pedes XVII. cum ſemiſſe, in altitudinem XII., ac tandem in longitudinem CXXXVII. Ipſas extruxit Imperator Veſpaſianus commodo Collegii Pontificum, ut patet ex marmoreâ Inſcriptione ibidem detectâ, quæque ita ſe habet:

IMP.

IMP. VESPASIANVS. AVG. PRO COLLEGIO. PONTIFICVM FECIT

Vide Andream Palladium in lib. v. de Antiquitatibus Romanis pag. 319.




EPITYNCHANVS. M. AVRELI. CAES. LIB. ET. A. CVBICVLO. FONTIBVS. ET. NYMPHIS. SANCTISSIMIS. IIIVIVM. EX. VOTO. RESTITVIT.

Da un antico bassorilievo esistente nel Museo Capitolino

Petr Sanc Bart inc.

ATR.


ATR
RA
MCE
IS
IIAE
OR
CIR
FLAMI
ER
MA
IA
C

TABULA. XIIX.

ATR. Amphitheatrum



Mphitheatri Flavii veſtigium. Deſcribuntur Porticus ab exteriori ambitu uſque ad arenam præcinctam ovali formâ. Porticus ipſas interſecant ſcalarum aditus, per quos aſcendebatur ad cuneos, & ſubſellia. Super Porticibus cunei, & ſedilia ſpectatorum eâdem formâ per declive deſcendebant a ſummo uſque ad arenam, ubi gladiatorii ludi edebantur. Ex dignitate verò ſedendi gradus diſtributi erant; ita ut Senatores in orcheſtrâ, hoc eſt in ultimo circuitu ad arenam, quæ ſatis in noſtro veſtigio apparet. Proximi Orcheſtræ cunei dicebantur Equeſtria, in quibus ſedebant Equites. Tertia loca populo adſignata Popularia dicebantur, quæ fuſius vide apud Lipſium lib. de Amphitheatro (113). *J. Lipſius de Amphitheat.*


Non pigeat hic Inſcriptionem veterem advertere, quæ Amphitheatri Flavii Architecto adſcribitur, elapſis annis reperta, erutaque ex Cœmeterio Divæ Agnetis Viâ Nomentanâ, jampridem apud Felicem Rondeninam ſtudioſiſſimam Matronam, & a Johanne Severano in Româ ſubterraneâ Boſſii relata: *Boſſ. Rom. ſubter. lib. iij. cap. 9.*

SIC . PREMIA . SERVAS . VESPASIANE . DIRE PREMIATVS . ES . MORTE . GAVDENTI . LETARE
CIVITAS . VEI . GLORIE . TVE . AVTORI PROMISIT . ISTE . DAT . KRISTVS . OMNIA . TIBI
QVI . ALIVM . PARAVIT . THEATRV . IN . CELO

Non

(113) A. Amphitheatri Flavii formam habemus in nummis Veſpaſiani, ſive potius Titi, atque ex unâ ipſius parte latus celebris Aureæ Domus Neronis, ex alterâ Meta ſudans conſpicitur. Eam igitur formam nos ex picturis Farneſiani Muſei Tom. IV. Tab. XIV. n. IV. mutuatam heic de more ſiſtimus.

Æ.



Non ſpuria, neque recens Inſcriptio eſt, ſed orthographia, & characteres longè ſequiorem Veſpaſiano Auguſto ætatem indicant; nec in ipsâ Amphitheatri, ſed Theatri mentio habetur (114).

C I R. Circus
F L A M I. Flaminius.


Alexand. Donat. lib. iij. cap. 14. Famian. Nardin. lib. vi. cap. I.

DEEST veſtigium univerſum cum magnâ tam præclari ædificii jacturâ, de quo Donatus, & Nardinus ſcripſere (115).


In fine

(114) A. Johannes Marangonius Vicentinus in ſuâ Diſſertatione, quam inſcripſit = *Delle Memorie Sacre, e Profane dell' Amfiteatro Flavio di Roma volgarmente detto il Coloſſeo* &c. = pag. 17. arbitratur, hunc lapidem inſculptum revera fuiſſe tempore Veſpaſiani, cum nil eſſe mirum cuique debeat, quod & litterarum inconcinnitas, & cunctarum ferè vocum cacographia ubique in eo appareat, propterea quod recentes Chriſtiani Gentibus inviſi, atque inopiâ detenti conducere nequibant inſignium Quadratariorum operam ex grege Gentilium, quibus ſua ipſorum monumenta a ffabrèelaboranda locarent, ſed vel per ſe ipſos eadem craſsiori Minervâ perficere, vel ſumtui parcendi cauſsâ imperitis artificibus, vel in arte Tironibus viliori pretio præſtanda tradere cogebantur. Nec obſtat, quod heic Theatri, non Amphitheatri mentio fiat, quandoquidem veluti per antitheſim id fit, eò quod in Theatris læta, & jucunda exhibeantur, in Amphitheatris verò ſpectacula atra, & immania ſemper edi conſueverit.

(115) A. Heic Bellorius paucis rem agit, & Adnotator noſter prorſus ſilet; quid enim producant, quod huic monumento novam lucem afferat, cum hac de re plena ſint rerum Romanarum Commentaria, Hiſtoricorumque volumina? Addam ipſe nunc tantùm, Circum Flaminium extructum fuiſſe, L. Vetturio, & C. Lutatio Coſs,, ut ex Caſsiodori Chronico intelligimus. Variæ ſunt de eo Scriptorum ſententiæ, quæ tamen mirè componuntur ab Onuphrio Panvinio *de Ludis Circenſibus* lib. I. cap. 18.




Anfiteatro di Vespasiano detto il Coloſseo


RREA
ANA
C
MAGNI
HOR
A
X

TABVLA. XIX.

In ſine hujus Tabulæ prægrandibus literis titulum habemus, qui Circum Maximum notat.

C. A X. Circus Maximus



PLURIMA Circi fragmenta in tabulâ ipsâ ſunt interpuncta; primum, quod ſuperius eſt, curvaturam, ſeu hemicyclum Circi refert, ſed Circo Maximo non reſpondet, unde alterius partem eſſe, opinamur. Fragmentum ad dextrum latus rectis lineis deſcriptum ad Circum Maximum ſanè ſpectat. Prima linea Euripum deſignat aream verſus, atque in interiorem Circi partem. Poſt Euripum aliæ tres rectæ lineæ indicant porticus ſimplices; majores duas, tertiamque minorem. Externè Porticui hærent Circi officinæ: in arenâ verò media interjacet ſpina, cujus extremitas continebat metas. Ad quarum rerum explicationem faciunt, quæ de Circo Maximo ſcribit Dionyſius Halicarnaſſ.:

Dionyſ. Halicar. Antiq. Rom. lib. iij. cap. 68.


Μῆκος μὲν γὰρ ἐπὶ τούτου ἱπποδρόμου, τριῶν, καὶ ἡμίσους ἐστι σταδίων. Εὖρος δὲ τεττάρων πλέθρων. Πέριξ δὲ αὐτοῦ κατά τε μείζους πλευρὰς, καὶ κατὰ μίαν τῶν ἐλαττόνων, Εὔριπος εἰς ὑποδοχὴν ὕδατος ὀρώρυκται, βάθος τε καὶ πλάτος δεκάπους· μετὰ δὲ τὸν εὔριπον ᾠκοδόμηνται στοαὶ τρίστεγοι. Τούτων δὲ αἱ μὲν ἐπίπεδοι, λιθίνας ἔχουσιν, ὥσπερ ἐν τοῖς θεάτροις, ὀλίγον ὑπερανεστηκυίας καθέδρας· αἱ δ᾽ ὑπερῷοι, ξυλίνας. Συνάγονται δ᾽ εἰς τὸ αὐτὸ, καὶ συνάπτουσιν ἀλλήλαις αἱ μείζους ὑπὸ τοῦ ἐλάττονος, μηνοειδὲς ἔχουσαι τὸ σχῆμα συγκλειόμεναι· ὥστε μίαν ἐκ τῶν τριῶν γίνεσθαι στοὰν ἀμφιθέατρον ὀκτὼ σταδίων, ἱκανὴν ὑποδέξασθαι πεντεκαίδεκα μυριάδας ἀνθρώπων. ἡ δὲ λοιπὴ τῶν ἐλαττόνων πλευρῶν αἴθριος ἀνειμένη. ψαλιδωτὰς ἱππαφέσεις ἔχει, διὰ μιᾶς ὕσπληγος ἅμα πάσας ἀνοιγομένας. ἔστι δὲ καὶ περὶ τὸν ἱππόδρομον ἔξωθεν ἑτέρα στοὰ μονόστεγος, ἐργαστήρια ἔχουσα ἐν αὐτῇ, καὶ οἰκήσεις ὑπὲρ αὐτά. δι᾽ ἧς εἴσοδοί τε, καὶ ἀναβάσεις τοῖς ἐπὶ τὴν θέαν ἀφικνουμένοις παρ᾽ ἕκαστον ἐργαστήριον, ὥστε μηδὲν ἐνοχλεῖσθαι τὰς τοσάς δε μυριάδας εἰσιούσας τε, καὶ ἀπολυομένας.

H. E. *Longitudo enim hujus Circi trium ſtadiorum cum dimidio, latitudo quatuor jugerum a duobus majoribus lateribus, & uno minore cingitur Euripo, qui aquas recipiat decempedali profunditate ſimul, & latitudine. Poſt Euripum extructæ ſunt triplices porticus, imæ habent lapidea paullum ſcandentia, ſicut in theatris, ſedilia, ſuper duplici contignatione ſunt lignea. Duas majores porticus tertia minor conjungit, tranſverſim lunatâ ſpecie appoſitâ, ut ex tribus una conficiatur amphitheatralis octo ſtadiorum latitudine, capax centum quinquaginta millia hominum. Reliquum e minoribus latus, quod ſubdiale eſt, habet fornicatos carceres, unde equi emittuntur, omnes uno clauſos repagulo. Externè ambit Circum ſimplex contecta porticus habens officinas, & ſupernè cellas, per quas ſpectatores intrant, & aſcendunt per officinas ſingulas, ut nulla confuſio exoriatur inter tot hominum millia tùm venientia, tùm diſcedentia* (116).

RREA.

(116) A. Plures fuerunt ex Romanis Imperatoribus, qui Circum Maximum reſtituerunt, aut in eo exornando operam dederunt, quos omnes naviter recenſet Onuphrius Panvinius *de Ludis Circenſibus* lib.I cap.7., ſi tamen excipias Antoninum Caracallam, quem præterit, licet tamen inferiùs cap. 24. de Circo in Viâ Appiâ loquens aſſerat, Circi iconem, quæ in ipſius nummo eſt, non illum Viæ Appiæ Circum, qui falsò ab ipſo extructus exiſtimatur, ſed Circum Maximum revera exprimere, cum nummi illius Circus ſimillimus ſit Maximo, qui in Trajani numiſmate cernitur. Si ergo ita ſe res habet, quid aliud illa Circi Maximi forma in Caracallæ nummis deſignare poteſt, niſi ab ipsâ ejuſdem Circi reſtaurationem aliquam, hoc Imperatore curante, peractam referri, ſtatuamus? Quare hinc clariùs ſemper eruitur, quanta ab Hiſtoricis intacta ex nummis deprehendi poſſint, & quam rectè ſimul, ac meritò *Reſtitutoris Urbis* nomine in nummis inſignitus ipſe Antoninus fuerit, quemadmodum in primâ noſtrâ ad Bellorium adnotatione monuimus. Hujus Circi ſchema habetur in Auguſti numiſmate, tum & in alio Trajani ex maximo modulo, quod ſcilicet heic ſignatum ex additamentis eruditi Viri Johannis Franciſci Baldinii ad Vaillantium Tom. III. exhibemus, ut quantæ molis, ac dignitatis hic Circus extiterit, facilè innoteſcat:

Æ



RREA. ANA. Horrea Galbana, ſeu Galbiana.

IN Notitiâ: *Horrea Galbæ*, *&* *Procurator Horreorum Galbanorum*. In duabus verò Inſcriptionibus apud Panvinium legitur: *Fortunæ*, *&* *Genio Horreorum Galbianorum*; ſive Imperatoris Galbæ, ſive alterius (117). *Pancirol. in Notit. lib.ij. cap.16. Panvin. Reipub. Roman. Commentar. lib.I.*


HUJUS

(117) A. Bartholomæus Marlianius *Urb. Rom. Topograph.* lib.II. cap.16. (cui adſtipulatur Samuel Pitiſcius in ſuo *Lexico Antiq. Roman.*) aſſerit, Galbionem unum ex Ducibus Valentiniani, qui contra Bonifacium Africæ Tyrannum miſſus eſt circa annum CCCCXXIX., ut auctor eſt Divus Proſper, nomen his Horreis primum feciſſe, vel quod ea fortè ipſe annonâ impleverat, vel quod ad hunc uſum Reipublicæ tradiderat. Putat propterea idem Marlianius, hæc Horrea *Galbiana*, ut eſt apud Victorem, non *Galbana* eſſe legenda; nam ſi Galbana legerentur, a Galba Principe, vel alio ex eâ familiâ derivarentur, quod ei inveriſimile videtur, quandoquidem ipſorum mentionem aliquam anterioribus temporibus fieri debuiſſe, exiſtimat. Verùm ego dixerim, rectè etiam hæc Horrea *Galbiana* dici, etſi ab ipſo Galba Imp. originem duxiſſe, dicantur, quandoquidem apud Tacitum *Hiſtor.* lib. III. habetur *legio ſeptima Galbiana*, quæ ſanè a Galba, qui inferiùs memoratur, nomen accepit; tum Valentiniani tempora nimis remota videntur, quò ipſis adſcribere horum Horreorum constructionem, & originem debeamus. Neſcio quapropter, an in hoc veſtigio, quod tempore Severi, & Antonini peractum docet Bellorius, fieri ipſorum mentio potuerit, etſi poſteriora etiam his Imperatoribus ædificia nonnulla deinde in ipſo relata fuiſſe, advertamus. Huc accedit, quod Inſcriptiones, in quibus hæc Horrea memorantur, quæque, ut ſupra Bellorius innuit, a Panvinio referuntur, prima olent Imperii tempora, nullâ ſcilicet involutæ ruſticitate ſermonis, quæ ſequioribus ſeculis invaleſcere, atque in operibus, ac monumentis omnibus irrepere paulatim cœpit. Præter duas a Panvinio relatas Inſcriptiones aliam habemus apud Reineſium Claſſ. VI. n. 126. Viâ Oſtienſi detectam non longè a loco, quo Galbiana Horrea extitiſſe, Victor deſignat, qui ea ſcilicet in Aventino Regione XIII. recenſet. Hæc etiam Inſcriptio veteri elegantiâ nitet, ut propterea Valentiniani tempora multùm antecedere, videatur:


D. M
L. PALLIVS. L. F. SVLPICIA.
NVS. NAT. BESS. THRAC
PROCVRATOR. HORREOR
GALBIANORVM. AVENT
PROCVRATOR. XX. HAERED
PROCVRATOR. LVDI. GALLICI
VIXIT. ANNIS. XLIIX
M. VIII. FECIT. SIBI
ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQ. POSTERI
SQVE. EORVM. H. M. D. M. A

Verùm, quod me magis movet, ut hæc Horrea longè nimis Valentiniani III. tempora, annumquè Chriſti CCCCXXIX. anteceſſiſſe, exiſtimem (quo ſcilicet vertente, Galbo iſtorum Horreorum conſtructor falsò creditus florebat) illud eſt palmare quidem, quod hæc Horrea referantur a P. Victore, qui floruit dumtaxat temporibus Valentiniani I., atque Valentis, quæ ſanè contigerunt circa annum Chriſti CCCLXIV., ut proinde P. Victor, qui hæc anteceſsit, eadem Horrea referre in ſuo de Urbis Romæ Regionibus libello nequiviſſet. Mirum, Marlianio, Pitiſcio, aliiſque hoc anacroniſmi σφάλμα non innotuiſſe.

In duobus hujus Tabulæ marmoreis fruſtis leguntur mutilæ epigraphes quædam, atque in primo MAGNI, quibus litteris quid deſignatum fuerit, planè neſcio; in altero verò HOR, quibus etiam nihil incertius, cum ab ipſis vel HORrea, quæ plurima fuerunt, vel HORti, quorum & multiplex numerus, denotari facillimè poſsint.



Dentro l'Arca Sepolcrale del Monte del grano, ui fu trouato pieno di ceneri il qui effigiato Vaso, singolare di artificio, e scultura, quale oggi si conserua nella Biblioteca Barberina


F

TABULA. XX.



HUJUS ultimæ Tabulæ primum fragmentum, ſine titulo, formâ rotundâ, ac circuitionibus tredecim deſcriptum Mauſolei (118) Auguſti veſtigium eſſe, Bufalinus, aliique ſentiunt, quamvis Marlianus tres tantùm circumferentias, & ambitus agnoverit. Opus ſanè omnium, quæ extabant in Campo Martio, præclariſſimum, quod ſuâ mole, velut aggere Tiberim pertingebat. Quaſi mundi zonas diſpoſitos circulos aſpicimus, ita ut major minorem includat uſque ad centrum. Ad horum circulorum rationem, & regulam Mauſoleum ipſum ſpecie pyramidali decreſcens perveniebat ad culmen. Septem ex his circuitionibus, & zonis loculos, & monumenta Cognatorum ipſius Auguſti continebant; ſex reliquæ humo repletæ, alternâ invicem congerie terræ, virentes arbores alebant, quibus Mauſoleum ad verticem uſque cooperiebatur. Strabo Campi Martii enumerans ædificia: Ἀξιολογώτατον δὲ τὸ Μαυσώλειον καλούμενον, ἐπὶ κρηπῖδος ὑψηλῆς λευκολίθου πρὸς τῷ ποταμῷ χῶμα, ἄχρι κορυφῆς τοῖς ἀειθαλέσι τῶν δένδρων συνηρεφές. Ἐπ' ἄκρῳ μὲν οὖν εἰκών ἐστι χαλκῆ τοῦ Σεβαστοῦ Καίσαρος· ὑπὸ δὲ τῷ χώματι, θῆκαι, καὶ εἰσὶν αὐτοῦ, καὶ τῶν συγγενῶν, καὶ οἰκείων· Ὄπισθεν δὲ μέγα ἄλσος περιπάτους θαυμαστοὺς ἔχον, ἐν μέσῳ δὲ τῷ πεδίῳ ὁ τῆς καύστρας αὐτοῦ περίβολος, καὶ οὗτος λίθου λευκοῦ, κύκλῳ μὲν περικείμενον ἔχων σιδηροῦν περίφραγμα, ἐν τοῖς δ' αἰγείροις κατάφυτον. H.E. *Quorum omnium præclariſſimum eſt Mauſoleum, agger ad amnem* (119) *ſupra ſublimem albi lapidis fornicem congeſtus, & ad verticem uſque ſemper virentibus arboribus coopertus. In faſtigio ænea* (120) *ſtatua Cæſaris Auguſti; ſub aggere loculi ejus, & cognatorum, & familiarium; a tergo lucus* (121) *magnus ambulationes habens admira-*

Bartholomæus Marlianus in Vrb. Rom. Topograph. lib. v. cap. 1.

Strab. lib. v. pag. 259.

X mira-

(118) I. Ab inſigni ſepulcro Mauſolo Regi erecto magnificentiſſima quæque monumenta Romani dixerunt Mauſolea, ut in Arcadicis notat Pauſanias.

(119) I. Sveton. in Auguſt. cap. 100. *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis, tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis, ac in Mauſoleo condiderunt. Id opus inter Flaminiam Viam, ripamque Tiberis, ſexto ſuo Conſulatu, extruxerat: circumjectaſque ſilvas, & ambulationes in uſum populi tunc jam publicarat.*

(120) I. Auguſtus, teſte Sveton. cap. 102. teſtamento juſſit, ut ſtatuerentur ante Mauſoleum æneæ Tabulæ, ubi inciſus foret index rerum a ſe geſtarum.

(121) I. Silvæ circa Mauſoleum Auguſti erant ſuperſtitionis cauſsâ, ut videtur; putabant enim in ejuſmodi locis Heroum animas vagari. Virgilius Æneid. 5. v. 41. *Induite fontibus umbras*; in quem locum Servius: *Hoc ideo, quia Heroum animæ habitant vel in fontibus, vel in nemoribus*, ut Æneid. 6. v. 673. *Lucis habitamus opacis.*

mirabiles ; *in medio autem Campo buſti ejus ambitus ex albo ſaxo in orbem cinctus ferreâ ſepe , intus alnis conſitus* . Loculorum quadrata monumenta diſpoſita in circuitionibus ſatis apparent in noſtro veſtigio (122) .


Ædificia , quæ ſequuntur , cum areis , & cellis , quamvis ſine titulis , in obſcuro lateant cum aliis , quæ ignota ſunt in his tabulis ; formam tamen , & ſpeciem veteris Romæ , ejuſque magnificentiam indicant .


(122) A. Jam & Bellorius , & Adnotator noſter operi quiſque ſuo finem impoſuit , remque ad umbilicum perduxit . Antequam ergo ab ipſis nos dimittamus , ne quædam alia de Mauſoleo Auguſti intacta relinquantur , pauca nunc addimus , & dicimus primò ; exornatum ipſum fuiſſe duobus paribus obeliſcis magnis , ſingulis pedum XLIII. Narrat dein Svetonius lib. VI. in Vit. Neronis de Mauſoleo , ſpontè foribus patefactis , exauditam vocem fuiſſe nomine cientem Neronem , poſtquam ipſe Matrem immaniter interemerat . Idem etiam lib. VIII. in vitâ Veſpaſiani teſtatur, in extremo ejus mortis inter cetera prodigia Mauſoleum Cæſarum derepente patuiſſe . Extabat etiam antiquitus Procurator Mauſolei , ut docemur ab Inſcriptione quâdam , quam refert Panvinius *Reipub. Roman. Comment.* lib. I.

M. VLPIVS
AVG. L. AEGLVS
PROC. MAVSOLEI
IMAGINEM
CORINTHIAM
TRAIANI. CAESARIS
COLLEG. FAENARIOR
. D. D

Celebre quoque fuit in Ægypto Mauſoleum Antonii, in quo etiam Cleopatra venenatis aſpidibus interempta conſultò occubuit . Joſephus in Antiquitatibus Judaicis , Danielem Ecbatanis Mauſoleum fabricaſſe perhibet , in quo Medorum , Perſarum , Parthorumque Reges ſepelirentur . Non omittendum etiam , ut aliquid comprovincialibus rebus tribuamus , Ravennæ extitiſſe Mauſoleum Theodorici , de quo loquitur Agnellius part. I. pag. 280. , tum & Anonymus Valeſianus , ac omnium nuperrimè V. Cl. Antonius Zirardinius Juriſconſultus Ravennas in eruditiſſimo Opere , quod de profanis Ravennæ ædificiis inſcripſit , lib. I. cap. 9. pag. 158. Sed jam hæc mittenda præſtat , ut ad noſtram Appendicem properemus .




Oriens
ANTIQVÆ VRBIS
Castrum Prætorium
Aqua Martia Tepula et Iulia
Porta Numentana
Porta Salaria
Porta Prænestina
Porta Lavicana
Aqua Claudia et Anio novus
Via Collatina
Aqua Virgo
Porta Pinciana
Circ. Salustij
Horti Pinciy
Collis Ortulorum
Regio V Exquiliae cum colle Viminale
Regio VI Alta Semita
Viminalis
Porta Coelimontana
Via Campana
Via Latina
Vallis Aegeria
Porta Latina
Via Appia
Porta Capena
Amph. Vespasiani
Regio IX Circus Flaminius
Regio XII
Porta et via Ardeatina
Regio XIII Aventinus
Septentrio
Meridies
Moles Adriani
Circ. Adriani
Circ. Neronis
Porta Triumphalis
Pons Triumphalis
TIBER FLV
Regio XIIII Transtiberim
Porta Portuensis
Porta Ianiculensis
Via Portuensis
Via Ostiensis
Porta Trigemina
Occidens
1 T Iouis Capitolini
2 T. Vestæ
3 T Pacis
4 T Romæ
5 T. Faustinæ
6 T. Saturni
7 T Iouis Statoris
8 Ar Severi Boarij
9 Settizoniū Severi
10 Insula Tiberina olim Iouis Licaony
11 T Fortunæ Viriles
12 T. Portumni
13 Meta Sudans
14 Arcus Domitiani
15 Arcus Gordiani
16 Ar Marci et Veri
17 Ther. Alexandrinæ
18 The. Neroniane et Adri.
19 Forum et T Minervæ
20 Curia Hostila
21 Basilica Al Severi
22 Basilica Antonini
23 Pons Ianiculus
24 Pons Palatinus
25 Basilica Augusta
26 T Mart. Vltoris
27 Basilica Alo Severi
28 Pal Augusti



TABVLA. XXI.

IAM ibi ſumus, ubi mures ferrum rodunt; Scilicet pervenimus ad Monumenta prorſus ἀγράμματα, quæ cum propterea Antiquarium efficiant prorſus elinguem, jam ad Opus aſſurgit Architectus. Conjiciat quapropter oculos primùm eruditus Lector ad oram ſiniſtri lateris hujus Tabulæ loco ſupra ipſius medium aliquantulum elevato, atque ibi cernat obtruncatum ſacræ Ædis veſtigium, ſimulque animum advertat ad partem Cellæ Templi (1), quæ ferè integra in hoc fragmento exhibetur. Verumtamen cum nullus pateat aditus pro januâ, quemadmodum Vitruvius mandat, *Vitruv. lib. iv. cap. 7.* in medio valvarum eſſe relinquendum; conjicere fas erit, ſpatium inter cellam, & columnas poſtico Templi, ſicuti & pronao partem huic adverſam reſpondere. Forma elegans Cellæ, ſed ab ordinariâ abludens in columnarum numerum irregularitatem inducit, ex quâ propterea fit, ut de Templi denominatione judicium ferri non poſſit.

Pone hujus ſacræ Ædis veſtigium circa Tabulæ medium cernere licet partem Ichnographiæ Palatii, & quidem magnifici ad aliquem Patricium Virum pertinentis, in quo ſunt Atria duo Columnis ſepta (2). Horum unum exhibetur integrum: Duodecim nam-

Y que

(1) Dionyſius Halicarnaſſ. *Antiq. Romanar.* lib. xxxv. cap. 5. Templorum Cellas vocat σηκοὺς. Ad hanc vocem ita Heſychius: Σηκὸς ἐνδότερος τόπος τοῦ ἱεροῦ. H. E. *Secos interior locus Templi.*

(2) Statim ab interiori januâ introeuntibus occurrit Atrium, ædificium aream continens, in quam, ut ait Sex. Pompejus, ex tecto omni collecta pluvia delabitur. Nomen ei factum, putat Varro, ab Atriatibus Etruriæ populis, a quibus exemplum ſit ſumptum. Servius Æneid. lib. 1. ab atro, quod in eo culina eſſet, dici mavult; locus, in quo locupletiorem domus ignem colerent, ut idem Varro prodidit. Adnotamus heic obiter, quod Sacri Evangelii Scriptores αὐλὴν vocant, id Interpretes vertiſſe *Atrium*, quamquam Græci careant atrio, nec ipſo utantur, ut teſtatur Vitruvius lib. vi. cap. 10. A. Gellius *Noct. Attic.* lib. xvi. cap. 5. docet, nonnullos putaſſe primorem partem Domus, quæ Atrium vulgò audit, veſtibulum eſſe. Athæneus *Deipnoſ* lib. v. tradit, αὐλὴν appellari perflabilem locum, & διαυλωνίζειν dici locum utrinque ventum excipientem: uſurpatum autem ſuâ ætate a Menandro, & Diphilo pro Regiis, quod ante habeant ampla ſubdialia loca, in quibus Prætoriani Milites obdormiebant. Homerus porpetuò aulæ nomine ſubdialia loca intelligit, ubi Hercei Jovis proſtabat ara. Sed προθύρους, & προστάδας habuere Græcorum privata ædificia, quæ tamen *Atrium* Romanorum more non habuerunt. Porrò quid fuerit Atrium Romanis, patet ex lib. xi. Æneid. Virgilii, ubi

Veſtibulum ante ipſum, primoque in limine Pyrrhus
Exultat . . . .

Dein:

. . . . *Una omnis Scyria Pubes*
Succedunt tecto . . . .

Et denique:

Apparet Domus intus, & atria longa pateſcunt.

Ex quibus omnibus colligere fas eſt, Atrium Romanorum non fuiſſe veſtibulum, neque aream hypæthram, ſed partem domus ſub tecto, atque adeo penetrale, & fortaſſe concameratam porticum.

que columnæ apparent, quæ in quadrati lateribus diſponuntur, & periſtylium efformant in quatuor tetraſtyla diviſum. Alterius Ichnographia mutila eſt, & periſtylium exhibet incompletum. Figuram oblongi, ſeu rectanguli integrum fortaſſe præſeferebat, in cujus oppoſitis lateribus minoribus opus tetraſtylum, quale in hujuſmodi laterum uno apparet integrum; in oppoſitis verò majoribus hexaſtylon, vel octaſtylon haberetur, ut nimirùm in operum hujuſmodi relatione proportio vel ſeſquialtera, vel dupla ſtatueretur, quandoquidem proportiones hujuſmodi perſpicuam magis elegantiam, & concinnitatem architectonicis ſtructuris conciliant. Haud dixerim, alterum hoc atrium figuræ quadratæ fuiſſe, uti antecedens, quoniam latus unum ultra longitudinem alterius evidenter excurrit.

Inferiùs verò ad oram dextri lateris hujus Tabulæ cernitur inſignis Atrii columnis (3) ſtipati figura ferè circularis, vel ſaltem ellipticæ ſpeciem referens. Circumquaque etiam cernere eſt mutilas Atriorum internorum Ichnographias, de quorum operum ſpecie, quo ipſa exornabantur, ut & de figurâ, quam præſeferebant, vix fas eſt conjectando loqui quidquam.

Circa medium autem hujus Tabulæ, ſed quod tamen ad calcem potius, quam ad apicem accedat, perſpicere licet Aditum, in quo columnæ quatuor frontiſpicium ſuſtinent. Ejuſmodi verò proſpectus cum ante diverſa Ædificiorum genera collocari poſſint, fas non eſt propterea aſſerere, utrum ad Templa, vel Ædes, an potius ad cetera ædificia ab iis diverſa hujuſmodi veſtigii fragmentum ſit referendum.

Poſtremò tandem ad calcem hujus Tabulæ proſtant, ſicuti & alibi ſparſim obſcuriores quædam ædium Ichnographiæ, quæ tamen tales partes, & ſigna exerunt, ex quibus ad Templa ipſas eſſe referendas, certò judicare queas Verùm quid præſtat de hiſce pluribus loqui, quid & de ceteris matilis, planeque imminutis Palatiorum formis, quas nobis edax tempus prorſus invidit?

EODEM

(3) Nemo eſt ſanè, qui ignoret, Atria apud veteres Romanos Columnis exornata fuiſſe. Conſule Plinium de Columnarum luxu pluribus diſſerentem, ac præſertim lib. XXXV., ubi aſſerit, *in Atrio Scauri collocatas maximas* (columnas), *atque adeo duodequadragenum pedum, Lucullæi marmoris*. Id patet etiam ex aliis Scriptoribus, qui hunc luxum & tradunt, & damnant. Hinc Muſonius apud Stobæum: Τί δ' αἱ περίστυλοι αὐλαί; *Quò pertinent hæc atria columnata?* Innuit hoc etiam Statius:

Et nondum craſſo laquearia fulva metallo,
Montibus aut altè Gratis effulta nitebant
Atria.


Ubi ſanè *Montes* hi *Grati*, qui Poeticè enunciantur, grandes, ſublimeſque columnas Græciâ advectas deſignant. Tum idem inferius:

Pendent innumeris faſtigia nixa columnis,
Robora Dalmatico lucent ſociata metallo.

Pertinent huc etiam, quæ Propertius:

Quod non Tænariis domus eſt mihi fulta columnis,
Nec camera auratas inter eburna trabes.

XXII.



TABVLA. XXII.

EODEM verſamur in vado : Occurrit ſcilicet altera ex anecdotis Ichnographica Tabula, ubi ne litterulæ quidem apicem advertas. Informes ſed tamen Palatiorum Ichnographias exhibent ferè omnia marmorea fragmenta, quæ hac in Tabulâ continentur. Aliqua non unum, ſed plura ædificia referunt cum interjectis viis, atque plateis.

Perſpicuum, & ceteris inſignius illud eſt, quod in ipſo Tabulæ centro fragmentum advertitur, quodque refert Palatium triplici ſcalarum ordine inſtructum cum irregulari areâ ſubdiali, cui binæ ſcalæ adjacent, & quarum inde tertia in Atrium perducit. Duæ verò primæ quinque gradibus conſtant; tertia novem oſtentat. Conſueverant ſiquidem veteres Architecti ſcalarum gradus non continuos facere, ſed retractiones interponere, ut Vitruvius appellat, *Vitruv. lib. ix. cap. 2.*
ideſt areolas, ubi feſſi pedem figerent, & reſpirarent, quæ poſt ſingulos quinque, ſeptem, aut novem graduum ordines ſtatui ſolebant (4).

Si oculos rectâ inferiùs conjicias, proximè ſtatim advertes aream ſubdialem regularem, cui utrinque ſecundum longitudinem adjacent Porticus.

VENI-

(4) Scalæ ut plurimum, ſicut & hæc noſtra, tres habebant apertiones; imam, mediam, & ſummam. Ab imâ initium eſt aſcenſus, in mediâ aſcenditur, a ſummâ in atria, ſeu aulas ſupra ingreditur. Ima pars eſt in proſpectu, ut quamprimum januam ingredientibus pateſcat; media interius excipit advenientem, eique ad ſuperiora aperit aditum; ſumma in medio atrii, vel aulæ ingredientem exponit, ita ut univerſæ ejus partes æquabiliter cerni poſſint.


Tribus ſcalis habitare antiquitus idem erat, ac altiorem Domus partem incolere, hoc eſt Cœnaculum, qui locus pauperiorum hominum eſſe ſolebat. Hinc Martialis lib. I. ep. 118.:

Et ſcalis nabito tribus, ſed aliis.

Flaminicis Sacerdotiſſis Dialibus ceremonia erat ſolemnis inter ceteras, ut *Scalas, quæ Græcè* κλίμακες *appellantur, aſcendere eis plus tribus gradibus religioſum eſſet*. Vide A. Gellium *Noct. Attic.* lib. x. cap. 15.



Altro uaso dalla medema


XXIII

TABVLA. XXIII.



VENIMUS ad XXIII., ſive III. potius ex anecdotis Ichnographicam Tabulam, in quâ fragmentum inſignius illud eſt, quod extat ferè ad apicem hujus ejuſdem Tabulæ, quodque ſimul propiùs accedit ad ſiniſtrum latus, & conſtat triplicibus lineis parallellis in longum productis, quod propterea, ut mihi, ceteriſque, quos conſului, viſum eſt, referre facilè dixeris Porticum illam, quæ a Græcis Ξυστὸς dicitur, & in quâ Athletæ ſub tecto hyemali tempore exercebantur. Palæſtræ totius, in quâ Xyſtum quoque habes, Ichnographia eleganter proponitur, & huic noſtræ quidem, quo ad Xyſtum ſpectat, prorſus ſimilis, a Daniele Barbaro apud Vitruvium, quam, ne te de opinione noſtrâ religio incedat, quæſo tuam fidem, erudite Lector, ne adire graveris. Ut autem plena Operis hujus ratio habeatur, non incongruum erit heic Vitruvii ipſius teſtimonium recitare, qui ſic ait: *Hæc autem Porticus* ξυστὸς *apud Græcos vocitatur, quod Athletæ per hyberna tempora in tectis ſtadiis exercerentur. Faciunda autem Xyſta ſic videntur, ut ſint inter duas Porticus ſilvæ, aut platanones, & in his perſiciantur inter arbores ambulationes, ibique ex opere ſignino ſtationes. Proximè autem Xyſtum, & duplicem Porticum deſignentur hypæthræ ambulationes, quas Græci* περιδρομίδας, *noſtri Xiſta appellant; in quas per hyemem ex Xyſto ſereno Cælo Athletæ prodeuntes exercentur. Poſt Xyſtum autem ſtadium ita figuratum, ut poſſint hominum copiæ cum laxamento Athletas certantes ſpectare*. Xyſtus, & Xyſtum licet apud Græcos nihil differant, apud Latinos verò aliquod occurrit diſcrimen, quod quidem in eo eſt, ut Xyſtus in maſculino genere apud ipſos opertas porticus deſignet, in quibus Athletæ per hyemem pluvio Cælo, Xyſta verò in neutro genere ſubdiales ambulationes, in quibus iidem ſereno Cælo exercerentur (5).

Daniel. Barbar. in Vitruv. lib. v. cap. 11.

Vitruv. loc. laud.

Z Erat

(5) Hujuſmodi Græcæ Linguæ genium apparet ex Suida, apud quem habetur: ξυστὸν, προβόλιον, καὶ τόπος, ἔνθα οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται. H. E. *Xyſtum, lanceola, & locus, ubi Athletæ exercebantur*. Tum etiam ex Heſychio, qui poſtquam idem retulit, addit: ξυστὸς ὁμοίως ἀνειμένος ἀθληταῖς τόπος. H. E. *Xyſtus ſimiliter liber Athletis locus*. Hinc certè apparet, hoc verbum utroque genere apud Græcos idem ſignificare, quamquam res non ita ſe habeat apud Latinos, propterea quod genus mutatum ſignificationem ipſam commutat. Unde Budæus:

Erat verò apud veteres quidam, qui iiſdem Xyſtis præerat, quique, ut habemus apud Tertullianum lib. ad Martyres, Xyſtarches appellabatur, quæ vox uſurpatur etiam in Græcâ Inſcriptione baſis ſtatuæ erectæ ab Hermodoro Hermopolitano Patri Demetrio. Xyſticum dici, qui certat, teſtatur marmor hac epigraphe ſignatum, quodque refertur a Guilielmo Philandrio ad Vitruvium loco laudato, & a Samuele Pitiſcio in *Lex. Rom. Antiqq.*


Tertullian. lib. ad Martyr.

L. THENODORVS. XYSTICVS.
PARIDI. THYMELICO. BENE
MERENTI. FECIT


De ceteris hujus Tabulæ fragmentis præſtat ſilere, quam loqui.

CIMME-


Budæus: *Xyſtus, & Xyſtum ſignificatione differunt, cum tamen ambo Græcis ſint idem, ſed aliter latinè uſurpata ſunt.* Item Philander ad Vitruvium loco pluries laudato: *Xyſtus, & Xyſtum cum apud Græcos idem ſignificent, apud Latinos nonnihil habent diſcriminis; nam Xyſtos vocant porticus tectas, ubi Athletæ, per hyemem exercebantur: Xyſta autem ſubdiales ambulationes, ubi ſudo Cælo ſuas exercebant palæſtras.* Ceterùm in utriuſque generis Xyſtis exercebantur Athletæ; ac tectas quidem porticus, ſive *Xyſtos* dixerit, ubi Athletæ pluvio tempore luctabantur, Græci ξυστοὺς δρόμους appellabant; ambulationes verò hypæthras, quæ Latinis *Xyſta* audiunt, & in quibus ſereno Cælo Athletica certamina edebantur, Græci παραδρομίδας nuncupabant.



Ponte Salara


XXIIII

TABVLA. XXIV.



CIMMERIAS heic offendimus tenebras, ut & Architectus ipſe, qui Antiquario ſuccenturiatus acceſſit, veluti obmuteſcere prorſus cogatur. Luſtret, quæſo, eruditus Lector univerſam hanc Tabulam, & ubi viderit rerum obſervandarum pauperiem, judicet an meritò nos, licet duas perſonas Antiquarii ſcilicet, & Architecti ſimul gerendas ſuſceperimus, digni omnino ſimus, quibus ſilentii venia impertiatur. Obtruncatæ ubique dumtaxat ſe ſe exerunt privatorum ædificiorum Ichnographiæ, ut conjectare licet ex quibuſdam ſcalarum (6) veſtigiis, aliiſque perexiguis ædium ſtructuris, quas in ipſis penè detritis fragmentis veluti per ænigma deprehendimus. Fortè, ſi intactas harum ædium formas tempus ſervaſſet, multarum privatorum Civium nobiliſſimarum quidem ædium (7) Ichnographiæ non deſiderarentur, quibus & eruditorum oculi remotiſſimarum veluti rerum præſentiâ perfunderentur ſanè jucundiſſimâ, & ſimul Scriptorum teſtimonia non inficiando rerum ipſarum adſpectu confirmata haberemus. Adnotamus verò heic obiter, plurimas Romæ extitiſſe privatas Civium Ædes, ſive Domos appelles, ut ipſæ MDCCLXXXXVII. numerarentur, ut indicat Palladius. Quas verò *Andr. Pallad. de Antiquit. Roman. lib. v.* P. Victor, ac Notitia Imperii propriè *Domos* appellant, ab Inſulis diſtinguunt; ac propterea conputant *Inſulas totâ Urbe quadraginta ſex millia ſexcentas duas*, *Domos mille ſeptingentas octuaginta* fuiſſe. Nec mirum, quod hæ minore numero cenſeantur, quia tantò grandiores, & ampliores extabant (8). His immoramur, ne veluti inſalutatum Lectorem dimittamus. Ceterùm ſilere præſtat, cum opportunum loquendi argumentum res ipſa non præbet.

RURSUS

(6) De Scalis vide, quæ ſuperiùs adnotavimus ad Tabulam XXII.

(7) Quæ fuerit Ædificiorum Urbis Romæ altitudo, decor, & ornatus, conſule Juſtum Lipſium *de Magnitudine Romanâ* lib. III: cap. 4., & 5.

(8) Enimverò grandes, inſtructæque hæ Ædes extiterunt. Patet hoc ex Apulejo *de Deo Socrat.*: *Igitur illas ædificiorum ſpecies, in quas patrimonia ſua profuderunt, amœniſſimas, & extructiſſimas deprehendas: aulas æmulas Urbium conditas, domos vice Templorum exornatas*. Sed clariùs Olympiodorus (in Bibliothecâ Photii:) Ὅτι ἕκαστος τῶν μεγάλων οἴκων τῆς Ῥώμης, ἅπαντα εἶχεν ἐν ἑαυτῷ, ὁπόσα πόλις σύμμετρος ἠδύνατο ἔχειν. Ἱππόδρομον, καὶ φόρους, καὶ ναοὺς, καὶ πηγὰς, καὶ λουτρὰ διάφορα. Διὸ καὶ ὁ συγγραφεὺς ἀπεφθέγξατο:


Εἷς δόμος ἄστυ πέλει. πόλις ἄστεα μύρια τεύχει.

H. E. *Quæque magnarum domuum omnia in ſe ipſa habet, quæcumque mediocris Urbs poſſit continere, nempe Circum, Fora, Templa, Fontes, Balnea diverſa. Ideo & Poeta dixit:*

Una Domus Urbs eſt; Urbs Oppida pluria claudit.



Altro uaso dalla medema



TABVLA. XXV.

RURSUS Harpocrati litandum, quandoquidem eadem nos urget loquendi inopia. Quid enim hac in Tabulâ occurrit, quod ceteris inſignius ſpectatoris oculos percellat? Videas hinc, atque illinc nonnulla foramina, quæ columnas deſignant, dein veſtigia offendas perpauca, quæ ſcalas exhibent, tum in ſpatia incidas quædam, quæ areas ſubdiales (9) oſtendunt, ac tandem intervalla advertas in longum producta, quæ vias (10) indicant. Quid præterea? Incerta omnia. Non enim nos divinandi artem profitemur, nec unquam aut ἱερεῖς, aut μάντεις, ſive potius ὀνειροπόλοι, ut cum Homero loquamur, *Homer. Iliad. α.* unquam extitimus, quo nunc nobis tantis in latebris quidquam vel pronunciandi, vel argutandi animus ſuppetat. Ceterùm ſi quis plura voluerit, ex ſe confingat; Noſque interea dicemus cum Euripide: *Euripid. in Tragœd.*

Μάντις δ' ἄριστος, ὅστις εἰκάζει καλῶς

H. E.

Vates is optimus fuerit, qui benè conjiciet.


A a SVI....

(9) Ante veterum Ædes extitiſſe Areas hypæthras, conſtat ex Taciti teſtimonio in ſequenti adnotatione recitando, quemadmodum etiam patet ex lege Aquiliâ, quâ cautum erat, ne quis vicinus ipſas inutiles impoſito ædificio reddere poſſet. Hoc videri poterit apud Cujacium *parat.* C. *ad* L. *Aquil.*

(10) Spatium illud, quod inter vicinas Ædes intercedebat, Via dicebatur, quâ facilis eſſet prætereuntibus tranſitus. De eâ lex extat in XII. Tabulis, quæ eſt hujuſmodi: *Via in porrectum* VIII. *pedum*, *in amfractum* XVI. *pedum eſto*. Mandavit ergo lex XII. Tabularum, ut viarum latitudo inter Ædes eſſet octo pedum in porrectum, hoc eſt in directum, ſive quâ rectà tenditur; ſexdecim in amfractum, ſive in flexu propter commodum ducendi vehiculum, quod in anguſtiori ſpatio verti non poteſt, niſi *Viæ* nomen latiùs, & præter XII. Tabularum ſenſum accipiamus cum Ælio Gallo L. *parieſ.* 157. D. *De Verb. ſignif.*, ut non tantùm ſpatium ducendi vehiculum, ſed ampliori ſignificatione & *ſemita*, & *iter* eodem *viæ* vocabulo veniat. Mos hic, & obſervantia legis obſoleſcere cœpit, donec Nero, incensâ Urbe, domos rurſus extruendas præcepit cum ſingularum diſtinctione, atque, ut ait Tacitus *Annal* lib. XV., *dimenſis vicorum ordinibus*, *& latis viarum ſpatiis*, *cohibitâ ædificiorum altitudine*, *ac patefactis areis*, *additiſque porticibus*, *quæ frontem inſularum tegerent*.



Altro uaso copiato da medemi diſe gni della Vaticana


SVI
S
ALB
INI
A
FE
IC
F

TABVLA. XXVI.

SVI..... Vicus Sulpicii

TANDEM venimus in fundum noſtrum, in quo propterea jucundiùs, latiùſque ſpatiari licebit. Tabula hæc omnium poſtrema, quamquam ceteris pauperior, utpote quæ mediâ ſui parte marmoreis Ichnographiæ hujus noſtræ fragmentis deſtituta, tamen quaſdam oſtentat epigraphes, de quibus ut ut mutilis aliqua juvabit diſſerrere. Occurrit namque primò SVI......, quod conjectando interpretamur: *Vicus Sulpicii*, qui recenſetur a P. Victore Regione I. Portâ Capenâ, ac fortè fuit mœniis propinquus. Ipſe duplex fuit, ulterior, & citerior, quorum prior fortaſſe extra Portam Capenam proſtabat, poſterior verò intra eamdem, in eâ ſcilicet Regionis parte, quæ intra Portam extitiſſe, dicitur. Citerioris verò caput XIII. Regioni tribuitur.

ALB. Manſiones Albanæ, vel ad Gallinas Albas, vel Vicus Albus, vel Ager Albionæ.

NON video, quid aliud tres hæ litteræ exprimere valeant præter quatuor illas a nobis deſignatas lectiones. Ut verò aliqua de primâ attingamus, dicimus, Manſiones Albanas recenſeri a P. Victore in Cælimontio Regione II. Eruditi exiſtimant, eas non referri ad veteres illos Albanos, ſed ad alios Milites, quibus cum, Cæſarum Principatu, caſtra, & familiæ in Albano eſſent, ac neceſſe haberent ſæpe, accitu Imperatorum, aliiſque de cauſſis Romam ventitare, manſiones quoque in eâdem, domoſque paratas habere debuerunt; niſi tamen cum aliis dicere malimus, præter eos Milites, qui Caſtra in Urbe habebant, etiam ſub Monte Albano prope Urbem quoſdam Caſtra, & Manſiones habuiſſe, ut jam adnotavit Caſaubonius ad illa Spartiani in Caracall. cap. II. *Pars Militum apud Albam Getam occiſum ægerrimè accepit*. Videri quapropter Spartian. in Caracall. cap. 2.

pter poſſent ætate Severi (11) Manſiones hæ conſtructæ, quoniam cum ipſe Prætorianorum numerum triplicando inſigniter auxiſſet, & præterea uxores Militibus conceſſiſſet, ne omnes unis caſtris metantes Urbem multitudine ſuâ gravarent, & ne ſecreti motus ciere, ac ſeditiones excitare tam facilè poſſent, ſejuncto alio in loco conſultò eos verſari, præcepit. Quare cum pars Prætorianorum ſub plurimis Imperatoribus ſtationem conſtanter ſub Albano habuerit, nil mirum eſt eos, veluti ſeparatum quoddam corpus a ſtationis loco nomen eſſe mutuatos, & Albanos propterea dictos fuiſſe. Memorat hos Dion, eoſque vocat ἐν τῷ Ἀλβανῷ στρατευομένους *in Albano militantes*. De ipſis etiam loquitur Herodianus: Ἔδοξε τοῖς στρατιώταις, οἳ πρὸς τῇ Ῥωμαίων πόλει στρατόπεδον εἶχον, ὑπὸ τὸ καλούμενον ὄρος Ἀλβανὸν, ἔνθα παῖδας, καὶ γυναῖκας καταλελοίπεσαν, φονεῦσαι τὸν Μαξιμῖνον. H. E. *Viſum eſt Militibus iis, quorum ad Urbem Romam ſub Monte Albano caſtra erant, atque in his liberi eorum, conjungeſque relictæ, neci dedere Maximinum.* Ex his etiam eruitur, Milites cum integris ſuis familiis hiſce in Caſtris manſiſſe, quod etiam innuere videtur Capitolinus: *Milites, quorum affectus in Albano Monte erant*, ubi ſanè vides, *affectuum* nomine Uxores, Liberoſque deſignari.

Dion lib. lxxix. pag. 1355.
Herodian. lib. viij. cap. 5.
Capitol. in Maximin. cap. 34.

Si ſecundæ verò lectioni lubeat adhærere, ſciendum locum, qui dicitur *ad Gallinas Albas*, a Sex. Rufo, & a P. Victore recenſeri Regione VI. Altâ Semitâ. Quomodo huic loco hujuſmodi nomen factum fuerit, accipe ex Svetonio: *Liviæ olim poſt Auguſti ſtatim nuptias Vejentanum ſuum reviſenti prætervolans Aquila Gallinam Albam ramulum lauri roſtro tenentem, ita ut rapuerat, demiſit in gremium: cumque nutriri alitem, pangique ramulum placuiſſet, tanta pullorum ſoboles provenit, ut hodie quoque ea villa ad* Gallinas *vocetur* &c. (12). Eamdem rem docet etiam Dion: Τὸ τε τῇ Λιουΐᾳ συμβὰν, ἐκείνῃ μὲν καθ' ἡδονὴν ἐγένετο, τοῖς δ' ἄλλοις δέος ἐνεποίησε. Λευκὴν γὰρ ὄρνιθα, κλώνιον δάφνης ἐγκάρπου φέρουσαν, αἰτὸς (13) εἰς τὸν κόλπον αὐτῆς ἐνέβαλε, καὶ [ἐδόκει γὰρ οὐ σμικρὸν τὸ σημεῖον εἶναι] τήν τε ὄρνιθα ἐν ἐπιμελείᾳ ἦγε, καὶ τὴν δάφνην ἐφύτευσε. H. E. *Liviæ autem hujuſmodi*

Sveton. vit. Galb. lib. vij. cap. 1.
Dion. lib. xlviij. pag. 566. n. 52.

(11) Veriſimilius quapropter eſt, hàs ipſas Manſiones heic deſignari, quàm aliud quodlibet, præſertim cum hujus epigraphis litteræ inſigniores ſint ceteris, quas in ſuperioribus XX. Tabulis advertimus, quibuſque proinde viventis Imperatoris Opera, ejuſque præſertim, cujus juſſu Ichnographia hæc cælabatur, nobiliore quâdam ratione a ceteris diſtingui, diſcernique decebat.

(12) Gallinæ verò hæ omnes noviſſimo Neronis anno interierunt, ſicuti & Lauretum exaruit. Sveton. ibid.

(13) Poſt verbum αἰτὸς fortè ex Zonara addendum ἁρπάσας.

juſmodi prodigium evenit , quod ei voluptatem , aliis metum attulit . Aquila Gallinam Albam in gremium ejus abjecit , quæ ramum Lauri fructum ſuum ferentis geſtabat . Quod oſtentum cum haud exiguum duceret , Gallinam adſervavit diligenter , laureum autem ramum ſevit . Idem videri poterit in Zonara , & Plinio , quos nunc nos omittimus .


Vicus Albus , ut tertio loco legi poſſet , cenſetur a Sex. Ruſo Regione III. in Iſide, & Monetâ , & Regione VI. Altâ Semitâ . Fortè huic poſtremo factum eſt nomen a Gallinis Albis , quæ in eâdem Regione VI. extiterunt . P. Victor nullo in loco hunc Vicum memorat .

Tandem & *Ager Albionæ* interpretari poſſet , qui extabat in Regione XIV. Tranſtiberim , quique ita dicebatur ab Albionarum luco , in quo bos Alba immolabatur . Conſule Feſtum . *Feſtus de Verbor. ſignif.*

IINI . Signum Delphini .

Signum Delphini deſignatur a Pub. Victore Regione XII. Piſcinâ publicâ . Hoc tamen nos , præfamur ingenuè , prorſus argutando innuimus , quandoque nil certi habetur . Plura alia forſan comminiſci potuiſſent , quibus hoc aptaretur epigraphis fragmentum ; verum quis non videt , ſi conjecturis omnibus locus fiat , rem dein in infinitum propemodum abituram ? Antequam verò manus è Tabulâ monemus,nos in tantâ rerum incertitudine de hiſce locis ſententiam noſtram timidè ut plurimum, & fortaſſe temerè propoſuiſſe, a quâ tamen excidere pro facilitate ingenii noſtri parati ſumus, ſi Viri nobis eruditiores meliorem unquam,aut probabiliorem protulerint. Et ſi multa in Adnotationibus noſtris recepimus , quæ a nobis in Præfatione exponerentur , attamen ea, utpote levis momenti , brevitatis cauſsâ prætermiſimus .

F I N I S .





Altro uaso copiato dalla medema
Vaticana

INDEX RERUM

QUÆ IN HOC LIBRO CONTINENTUR.

A

ADonea pag. 50.
Adonidis nomen apud Ovidium pag. 51.
Ædis Herculis Muſarum pag. 11., & 14. adn. 24. & 25.
Ædis Jovis in Porticibus Octaviæ pag. 11. *Inſtauratæ ab Hadriano* pag. 13.
Ædis Junonis pag. 11.
In Porticibus Octaviæ ibid.
Ædis Opis pag. 63. adn. 97.
Ædis Palladis in foro Nervæ pag. 59.
Ædis Telluris in foro Nervæ pag. 49. adn. 91. Vide *Templum*.
Ædis Sacræ veſtigium mutilum pag. 85.
Ædium Palatinarum magnificentia pag. 50
Ædes Romanorum nobilium pag. 5. 35. 85. 87. & 91.
Ager Albionæ pag. 95. & 97.
Alæ in Sacris Ædibus pag. 6.
Ambulatio circa cellam ſacrarum Ædium. ibid.
Amphitheatrum pag. 75. adn. 113.
Anemone flos apud Ovidium pag. 51.
Apollo Sandalarius pag. 23. adn. 34.
Apollodorus Architectus pag. 37. adn. 56.
Aquæductium pag. 16.
Aquæductus Aquæ Claudiæ ibid.
Aquæductus Aquæ Martiæ reſtituti a Trajano pag. 43. *ab Alexandro Severo* ib.
Arcus, *ſeu Janus ad Porticum Octaviæ* pag. 14.
Arcus Germanico, & Druſo pag. 67. adn. 101.
Arcus Valerianus pag. 63.
Area Apollinis cum ara pag. 69.
Area Mercurii cum ara pag. 44.
Area Pollucis pag. 68. & 69.
Area Radicaria. pag. 51.
Area Valeriana pag. 63. adn. 98.
Area in Quirinali cum ara pag. 69.
Area ſubdialis pag. 87. & 93. adn. 9.
Armamentaria pag. 19. & 38.
Aviarium Dominorum pag. 61.
Atrium in Ædibus pag. 5. & 85. adn. 2.
Atrium Libertatis pag. 32.
Aula Adonidis pag. 50.
Aula Regia in Theatro pag. 65.
Aula quid apud Græcos pag. 85. adn. 2.

B

BAlineum Ampelidis pag. 41. adn. 61.
Balneum Cæſaris pag. 35.
Balneum Etruſci pag. 27.
Balneum Hyppiæ pag. 28.
Balneum Suræ pag. 25.
Balnea Cotini pag. 68. adn. 102.
Balnea ad Solem expoſita pag. 27.
Balnea Virorum, *ac Mulierum* pag. 28.
Baſilica Æmilia pag. 32. & 33. adn. 53.
Baſilica Licinii pag. 19 & ſeqq.
Baſilica Vulpia pag. 70. adn. 107.

C

CApitolium pag. 26.
Caſtra Miſenantium pag. 19. & ſeq.
Caſtra Peregrina ibid.
Caſtellum Aquæ Martiæ cum trophæis Trajani pag. 43. adn. 68.
Cavædium in Ædibus pag. 35.
Ciceronis locus illuſtratus pag. 32.
Circus Flaminius pag. 76. adn. 15.
Circus Maximus pag. 77. & ſeq. adn. 116.
Circi officinæ pag. 77.
Ciſternæ pag. 73. adn. 109.
Ciſternæ Titianæ ibid. adn. 112.
Clivus Victoriæ pag. 24.
Claſſiarii dimiſſi honeſta miſſione, *ac Civitate donati* pag. 19.
Columnarum luxus in atriis Veterum pag. 86. adn. 3.
Columnatio in lateribus, *fronte*, *& poſtico* pag. 6.
Columnæ contra antas pag. 14. & 60.
Cornificia Domus pag. 5.
Cornua ſcenæ pag. 65.
Curia Julia pag. 56.

Delu-

D

D*Elubrum Minervæ Captæ* pag. *6*.
Minervæ Flavianæ pag. ead. adn. 9.
Minervæ Chalcidicum dictum pag. 5*6*.
Dieta Domitiani pag. 51.
Dipteros columnatio duplex pag. *6*.
Domus Cilonis pag. 38.
Domus Stellæ Coſ. pag. 31.
Domus interior pag. 33.
Domus Romanorum Nobilium. Vid. *Ædes*.

E

E*Cclesia Sanctæ Mariæ Ægyptiacæ olim Templum Fortunæ Virilis* p. 30. adn. 49.
S. Mariæ in Porticu olim Junonis pag. 13.
S. Mariæ de Conſolatione olim Concordiæ pag. 41. adn. *6*0.
S. Nicolai olim Jovis pag. 13.
S. Stephani ad Tiberim olim Matutæ pag. 2*9*. adn. 48.
Elagabalus rectius, quam Heliogabalus pagina 28. adn. 44.
Euripus in Circo pag. 77.

F

F*Abius Cilo, ejuſque munia ſub Severo* pag. 38. & ſeq.
Faſtigium in porticibus pag. 14.
Fons Lollianus pag. 7.

G

G*Allieni Baſilica, & Horti in Eſquiliis* pag. 20. & ſeq.
Gallinas Albas ad pag. *9*5. & ſeqq.
Græcoſtaſis pag. 38. adn. 58.
Gynæceum pag. 51.

H

H*Ecatonſtylum* pag. 15. & 55. adn. 8*6*.
Hecatonſtylum in Hoſtiliam Curiam corruptè pag. 5*6*. adn. 87.
Horrea Candelaria pag. 43. adn. *69*.
Horrea Chartaria ibid.
Horrea Galbiana pag. 7*9*. adn. 117.
Horrea Lolliana pag. 7. adn. 11.
Horrea publica pag. 8.
Horrea variorum privata ibid.
Quid in his reponeretur ibid. adn. 13.
Horti Celoniæ Fabiæ pag. 45.
Horti Gallieni pag. 20. & ſeq.
Horti Pallantiani pag. 44. adn. 71.
Hyppia Architectus pag. 28. adn. 44.

I

I*Dæa Mater* pag. 24. adn. 3*6*.
Inſcriptio Græca Anecdota pag. 31. adn. 51.
In Tellure pag. 5*9*. adn. *9*1.
In Tellure locus extra Templum Telluris ibid.
Inter Aggeres pag. *6*3. adn. *96*.
Interfinium ibid.
Inter Lignarios ibid.
Intermontium ibid.

L

L*Avacrum Agrippinæ* pag. 27. adn. 43.
Liciniana Baſilica pag. 1*9*. & ſeq.
Lolliani ſub Severo pag. 7.
Lollianus qui, & Gentianus Conſul cum Baſſo ibid.
Lollius Pellicanus M. Ædilis Curulis pag. ead. adn. 11.
Ludi gladiatorii pag. 52. adn. 84.
Ludus Magnus ibid.

M

M*Acellum* pag. 53.
Macellum Neronis pag. ead. adn. 85.
Manſiones Albanæ pag. *9*5. & *96*. adn. 11.
Maſſatium Oppidum Æſii pag. 8. adn. 15.
Mauſoleum Auguſti pag. 53. adn. 85. & p. 81. & 82. adn. 118. 11*9*. 120. 121. & 122.
Monumenta Mariana pag. 42.
Monumentum Comitis Herculis ibid.
Muri Urbis inſtaurati ab Arcadio, & Honorio pag. 17.
Mutatorium pag. 4*9*.

Nava-

N

NAvalia pag. 24. & 25. adn. 40.
Nummus Alexandri Severi cum Caſtello Aquæ Martiæ pag. 43.
Nummus Æmiliæ Gentis pag. 33. adn. 53.
Nummus Antonini Caracallæ pag. 2. adn. 1. & pag. 21. adn 32.
Nummus Antonini Pii pag. 21. adn. 32.
Nummus Auguſti ibid.
Nummus Claudii falſus pag. 16. adn. 27.
Nummus Didiæ Gentis pag. 68. adn. 103.
Nummus Domitiani pag. 20. adn. 42.
Nummus Druſi pag. 67. adn. 101.
Nummus Fauſtinæ pag. 11. adn. 17.
Nummus Flaminiæ Gentis pag. 45. adn. 74.
Nummus Liciniæ Gentis pag. ead. adn. 75.
Nummus Lolliæ Gentis pag. 7. adn. 11.
Nummus Muſſidiæ Gentis pag. 45. adn. 73.
Nummus Næviæ Gentis ibid.
Nummus Neronis pag. 53. adn. 85.
Nummus Petiliæ Gentis pag. 26. adn. 42.
Nummus Pomponiæ Gentis p. 14. adn. 24. & 25.
Nummus Septimii Severi pag. 2. adn. 1.
Nummus Trajani pag. 43. adn. 68. pag. 57. adn. 89. pag. 70. adn. 107. & pag. 78. adn. 116.
Nummus Veſpaſiani pag. 75. adn. 113.
Nummus Vitellii pag. 26. adn. 42.

O

Οἶκος *aliquando cubiculum ſignificat* pag. 28. adn. 47.
Orcheſtra in Theatro pag. 65.
In Amphitheatro pag. 75.
Ovidius emendatus pag. 51.

P

P*Alatium Licinianum* pag. 21.
Perypteros pag. 6.
Periſtylia duplicia in Ædibus pag. 35.
Periſtylia in Atriis pag. 86.
Pictura antiqua inſignis pag. 21.
Pinacotheca pag. 63.
Piſcina pag. 28.
Plinii locus illuſtratus pag. 12.
Plinius Senior Novocomenſis pag. 19. adn. 30.
Præfectus Claſſis Miſeni ibid.
Avunculus Plinii Junioris ibid.
Occubuit ad Veſevum ibid.
Plinius Junior Veronenſis ibid.
Adoptatur a Seniore ibid.
Porta Inter Aggeres pag. 63. adn. 96.
Porta Nævia pag. 44. adn. 70.
Porta Portuenſis pag. 17.
Porta Querquetularia pag. 63. adn. 96.
Porta Romanula pag. 24.
Porta Severiana pag. 2. adn. 1.
Porta Trigemina pag. 67.
Porticus Æmilia ibid.
Porticus Metelli cum duabus Ædibus p. 13.
Porticus Octaviæ, & Herculis pag. 11. adn. 18. & 19.
Porticus Pompeii Hecatonſtylon pag. 15. & 55. adn. 86.
Porticus nobiles a nobilibus picturis cognominatæ pag. 16.
Pronaon pag. 14.
Pſeudodipteros pag. 6.
Pueri, & Puellæ Alimentarii pag. 8. adn. 15.
Pyramis ſepulcralis Domitiorum pag. 61.

R

R*Egia Alexandriæ* pag. 64.
Regia Numæ, ſive Pontificis p. 70. adn. 106.
Romuli Templum inſtauratum a Septimio Severo pag. 1.

S

S*Calæ* pag. 87. adn. 4., & pag. 91.
Scena Theatri pag. 65.
Septa Agrippina pag. 46. & 47. adn. 79.
Septa Julia ibid.
Septa Trigaria pag. 45. adn. 73.
Septorum reliquiæ in Via lata pag. 46.
Sepulcrum Domitiorum pag. 61.
Sepulcrum Gn. Domitii Calvini ibid.
Sepulcrum Philomelæ, ſeu Luſciniæ pag. 61. & 62. adn. 95.
Septimius Severus Reſtitutor Urbis p. 1. adn. 1.
Fundator Urbis ibid.
Malè dictus Fundator Imperii ibid.
Ejus Opera ibid.

Septizonium pag.2.adn.1. pag.16.adn. 28. pag.24. & 36. adn. 55.
Serapeum pag.71.
Signum Delphini pag.97.
Statua Apollinis Sandalarii pag. 23.
Statua Apollinis in Vaticano ibid.
Statuæ in veſtibulo ſacrarum Ædium p.13.
Statuæ celebres in Thermis pag.28.
Statuæ , & Picturæ effoſſæ ad Arcum Gallieni pag. 21.
Subura pag.31. adn.50. 51. & 52.
Suburani , vel Siburiſii ibid. adn. 51.
Eorum Princeps Nicodemus ibid.
Summum Choragium pag.37.
Sura L. Licinius pag. 25.adn. 41.

T

T *Emplum Auguſti* pag.21.adn.32.
Templum Concordiæ pag.41. adn. 60.
Templum Dianæ pag. 5. adn. *6.* & 7. , & pag. *69.* adn.104.
Templum Divorum Penatium pag.21.
Templum Fortunæ pag.29.adn.48., & pag. 69.adn.104.
Templum Jovis Capitolini pag.20. adn.42.
Templum Jovis Cuſtodis ibid.
Templum Julii pag.21.adn.32.
Templum Matutæ pag.29.adn. 48.
Templum Minervæ. Vid. *Delubrum*.
Templum Opis pag.63. adn. 97.
Templum Palladis. Vid. *Ædis*.
Templum Saturni pag.70. adn.105.
Templum Serapidis. Vid. *Serapeum*.
Templum Telluris. Vid. *Ædis*.
Templum Titi pag. 21.
Templum Trajani p.ead.&p.56.&57.adn.89.
Theatrum Balbi pag. 55.
Theatrum Marcelli pag. 57.adn.90.
Theatrum Pompeii pag.55.adn.86., & pag. 65.adn. 99.
Thermæ Antoninianæ pag.2. adn.1., & pag. 24.adn.39.
Thermæ Aureliani pag. 49.
Thermæ Olympiadis pag.27.
Thermæ Titianæ pag. 37.adn.111.
Thermæ hyemales pag.49.
Thermæ ſtatuis ornatæ pag.28.
Trophæa Trajani vulgò Marii in Capitolio pag.43.adn.68., & pag.70.adn.107.

V

V *Eſtibula Regalia* pag. 6.
Veſtibulum pag. 85.adn. 2.
Veſtigium Veteris Romæ inciſum tempore Severi pag.1. & alibi paſſim.
Via inter Ædes vicinas quot pedum pag.93. adn. 10.
Via Nova pag.2.adn.1.pag. 24. adn.37. & pag.70.adn.108.
Vicus Albus pag.95.& 96.
Vicus Patricius pag.42.adn.64.& 65.
Vicus Publicius pag.68.adn.103.
Vicus Sandalarius pag. 23.
Vicus Sulpicii pag. 97.
Villa Publica pag.68.adn.103.

X

X *Yſti* pag.55.& 56.adn.86., & pag.89. adn. 5.
Xyſticus pag. 90.

F I N I S.